VETUS LATIUM PROFANUM

TOMUS QUARTUS

IN QUO AGITUR

DE VELITERNIS ET CORANIS

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.



PATAVII. CIↃIↃCCXXVII.

Excudebat JOSEPHUS COMINUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

BENEDICTO XIII.
PONTIFICI MAXIMO

Josephus Roccus Vulpius Societatis Jesu Felicitatem.



UMQUAM profecto ausus essem, BENEDICTE XIII. Pater Beatissime, numquam profecto ausus essem, hosce Veteris Latii libros a me conscriptos, Tibi ante sanctissimos pedes provolutus offerre, nisi

mihi ad id *PETRI MARCELLINI CORRADINI* Cardinalis Amplissimi auctoritas ingentes animos suffecisset. Quonam pacto enim fore, ut munusculum hoc meum non ingratum Tibi accideret, sperare poteram; qui nullo meritorum suffragio munitus profanorum Latinorum vetera monumenta Sacrorum Principi Summo ob oculos legenda proponerem? In publica itaque minime commoda peccare longo tua tempora morando sermone, apud me constitueram, ne Te lævus, & sinistro semper tempore interpellarem. Verum hæc metuenti, mihique apud memetipsum statuenti adfuit in tempore Vir Amplissimus, & *Quin tu*, inquit, *tuis de Veteri Latio libris a Summo Christiani Orbis Parente Latinorumque Optimo Principe præsidium ac decus comparas singulare? An quisquam Sanctissimos inter* CHRISTI *Vicarios, hoc humanior? quisquam, qui ad se adeuntes benignius exciperet? Tu vero, si sapis, libros tuos, in quibus Veteris Latii monumenta persequeris*, BENEDICTO XIII. *inscribe sis. Quid enim? num quia profanorum ii continent monumenta, Sanctissimo iccirco Sacrorum Pontifici qui offerantur, indignos putas? At te, Sacra quoque Veteris Latii monumenta omnia in lucem mox editurum memineris. His profana ista tua viam sternunt. itaque dum Sacris inserviunt, non ut profana tantum ea quisquam considerabit. Adde his, a te Pontificiæ ditionis descripta loca, nonnisi Pontifici*

Maxi-

Maximo conſecranda. Adde, ingens a BENEDICTO XIII. Latinis Urbibus decus nuper additum & ornamentum; dum itu redituque Beneventano ſingulas, ſanctiſſimis ubique Religionis & pietatis monimentis ac veſtigiis impreſſis, luſtravit: quod earumdem ſaltem aliquas vel obſtricti obligatique animi nomine, ad Sanctiſſimos ejus pedes ſiſti, ut quid æquiſſimum ac maxime debitum poſcit. Certe Velitras iſtas, de quibus ſcripſiſti, quarumque Antiſtes & Princeps, licet ad perexiguum tempus, Roma illum ſibi depoſcente, fuerat deſtinatus, præſentia ipſe decoravit, & Setinam Urbem patriam meam, quanta dignatione, benignitate, humanitate, pietate, ac Religione, dum ibidem nuperrime quatriduo ferme ſubſtitit, complexus fuerit, tute ipſe oculatus teſtis fuiſti. Nonne illam, proprio ſibi Antiſtite declarato, antiquo nobilium urbium ſplendori reddidit? Statua, quam iccirco Setini ei decreverant, religioſiſſimæ modeſtiæ ac inſito penitus latendi ſtudio, recuſata; Altare in Divi PHILIPPI NERII Patroni ſui ſingularis honorem, pro ea Setiæ exſtrui voluit: Setinorum toties ipſe princeps Templum inviſit: Altare idem vigeſima quinta Maji Anni MDCCXXVII. ſolemni ritu ipſe conſecravit, & ſingulari privilegio affecit: Divini officii ſtatutas diurnis horis preces, Setinis cum Sacerdotibus decantavit: Sacrum eodem in Templo privatim fecit, & publice Pontificia pompa celebravit: Orationem ex ejuſdem Templi ſuggeſtu de Divi PHILIPPI NERII laudibus in

ejuſ-

ejuſdem celebritate habuit: univerſiſque Pontificali ritu, & pleniſſima peccatorum conceſſa venia, benedixit: ſacris demum veſtibus dono datis, atque ornamentis conceſſis, in Setinos Antiſtites ac Sacerdotes liberaliſſimus fuit? Nonne ſingulis hic a me commemoratis interfuiſti? Certe a lacrimis præ gaudio te minime, nec e populo quemquam, temperare potuiſſe, narrabas; dum Sanctiſſimi Pontificis pietatem & Religionem eximiam, dum amantiſſimam in ſingulos caritatem & comitatem tam prope, tamque aſſidue intuereris. Age itaque; præpoſterum iſtum pudorem tuum pone; teque cum tuis de Veteri Latio libris ante Sanctiſſimi pariter & Clementiſſimi Pontificis pedes ſiſtere, me ſucceſſus ſequeſtro ac ſponſore, fac amplius ne trepidaveris. Hæc Vir ille Ampliſſimus. Quæ cum graviſſimam propter hominis auctoritatem, & ſummum in me meaque ſtudia ejuſdem arbitrium, ne hiſcere quidem contra auderem; ad Sanctitatis Tuæ pedes confirmatus nonnihil acceſſi. Accipe itaque, BENEDICTE Pater Sanctiſſime, tenuiſſimum hoc munuſculum meum eo vultu, quo DEUS OPTIMUS MAXIMUS, cujus vices in terris geris, vel minima ſibi a minimo quoque exhibita obſequia nec præterit, nec dedignatur. Eo, inquam, vultu atque ore humaniſſimo, quo nuper, dum Setini Societatis JESU Collegii templum, die *B. JOANNI FRANCISCO REGIS* ſacra, inviſeres, hoſpi-

hospitiique eodem quondam in Collegio accepti humanissime, gratissimi animi tui numquam satis laudata cum significatione, mentionem faceres, me ad Sanctissimorum pedum osculum excipere non es gravatus. Singularis hæc benignitas tua immensis ac pæne innumeris, pro quibus Tibi Societas JESU universa, (cujus ego quoque, licet ultimus, degener, atque indignissimus, sum filius tamen) nominibus debet, cumulus, idemque immensus, accedet. Teque Parentem Societatis amantissimum non modo in Beatis ALOYSIO GONZAGA & STANISLAO KOSTKA præstantissimis ejusdem Alumnis inter Sanctos JESU CHRISTI recensendis, & Beneventano ejusdem Collegio liberalissime restituendo; ea demum universa fovenda, vindicanda, ac tuenda; verum & in ejus hominibus vel minimis, ubi quid bonæ frugis protulerint, perquam comiter admittendis atque probandis, exstitisse, in nationes & ætates omnes prædicare numquam cessabimus. Ita plane respexit Reparator Sanctissimus pauperrimam viduam illam, & collaudavit, quæ, dum *multi divites jactabant multa* in thesauros templi, *misit duo minuta, quod est quadrans*. * Marc. cap. 12. v. 41. 42.

Tu quoque benignitatem Reparatoris, cujus vicem in terris geris, imitatus, duos hosce minutos libellos, qui quartam Veteris Latii partem conficiunt, a me

Ti-

Tibi oblatos ſin minus probare, reſpicere ſaltem atque excipere ne graveris. Hæc votorum meorum ſumma. Fortunet illam DEUS OPTIMUS MAXIMUS, Teque, Pater Beatiſſime, Chriſtiano Orbi univerſo, cui præes ſanctiſſime, diu incolumem ſervet atque tueatur.

Romæ ex Græcorum Collegio Kal. Quintil. CIↃIↃCCXXVII.



LE-



LECTORI BENEVOLO

Josephus Roccus Vulpius Societatis Jesu Sal.



ANTEQUAM brevibus, quid in Sexto ac Septimo Veteris Latii Profani, qui nunc prodeunt, Libris, legendum tibi proposuerim, expono; de eo quod superioribus Libris, Quarto nempe & Quinto contigerit, veniam a te, Amice Lector, nonnulla dicendi petam. Et ii quidem supra scribentis & merita & vota benigne, nec sine approbatione, a Literatorum Republica sunt excepti. Verum in Quarto, qui de Antiatibus est, cum inter cetera Veteris Antii monumenta, præclarissimum illud recensuerim Tabulæ Antii ad mare effossæ, in qua Servorum ac Libertorum nomina & munia multa certis sub Consulibus descripta erant, & Calendarii pars dimidia, sex scilicet mensium dies legebantur: cumque incisarum ibidem notarum interpretationem brevissimam, quantum res ac locus postulare mihi visa sunt, adjecerim; controversiæ aliquid circa illam exortum est. Hujus ego controversiæ te arbitrum, dum in jus veluti arcessitus ad caussam dicendam hic descendo æquitate caussæ satis munitus, constituere decrevi.

Itaque noveris, me a Viro ceteroquin eruditissimo doctissimoque, cujus & virtutem, & antiquitatis notitiam semper suspexi, nuperrime insimulatum, tamquam Tabulam illam Antiatinam explicando, falcem in messem alienam quodammodo immiserim: quodque minus apposite quasdam in ea notas fuerim interpretatus. Memorati Scriptoris verba recitabo. In libro igitur cui titulus: *Camera & Inscrizioni Sepulcrali de' Liberti, Servi, & Uffiziali della Casa di Augusto scoperte nella Via Appia ed illustrate &c. In Roma appresso Giovanni Maria Salvioni MDCCXXVII.* pag. 74. ubi de Tabula Antiatina agitur, hæc leges verba: *Ma vedendo ora, cioè tre anni dopo, la medesima lamina del nostro rame, richiestami per erudita penna, che scrive d' antichità, uscire di nuovo in luce, e portare seco notizie non confacevoli (per quanto io giudico) alla espressione della Inscrizione, nè all' altre parti già da me spiegate; sono in debito di soggiungere l' interpretazione intera di tutti gli*

ufficj espressi nel marmo istesso, acciocchè possa ricopiarli a suo bell' agio chiunque vorrà prendere tutta la nostra spiegazione : e se la faccia pur sua chiunque vorrà dopo un' altro triennio, se gli parrà giustificata; che io non ho minor facilità di prestare la figura, che la spiegazione a chiunque la voglia per istabilire la verità, che sola ricerco in questa, e in ogni altra mia letteraria applicazione. Quid ad hæc nos? num irascemur? num par pari referemus? Minime gentium. Hoc quidem suadere non cessant amici:

Hor. Sat. 1. lib. 2.

Sed hic stylus haud petet umquam
Quemquam animantem, & me veluti custodiet ensis
Vagina tectus.

Verum, quin ab iis de quibus insimulor, me paucis purgem, committere possum nullo pacto. Rem igitur totam, eo plane ordine quo gesta est, enarrabo. Noveris itaque, Amice Lector, tribus ab hinc annis, anno scilicet Reparati Orbis MDCCXXIV., a PETRO MARCELLINO CORRADINO Cardinali Amplissimo, studiorumque meorum Mæcenate optimo & liberalissimo, aditum mihi ad ALEXANDRUM ALBANUM Cardinalem pariter Amplissimum, patefactum, ut quæcumque in eruditissimo ejus Museo præclara antiquitatis monumenta exstarent, quæ quidem ad Antiates, de quibus tunc mihi scribebatur historia, pertinerent, descripta, pro sua humanitate, summoque in hæc optima studia favore, mecum communicaret, quorum exemplum in æs incisum meis de Antiatibus monumentis insererem. Quod & Vir ille Amplissimus præstitit cumulatissime; & quæcumque ille tradiderat, a me Antiatum historiæ, debita cum grati animi significatione, adjecta fuere. Inter alia, Tabula fuit Antiatina, quæ præsentem controversiam excitavit. Illam ego (si qua Religioso Viro sancte asserenti fides) tunc primum vidi, cum antea ne exstare quidem scivissem. Vix autem eamdem paullo attentius consideraveram, & Eminentissimum eumdem Principem, cujus in Museo Tabula ipsa lapidea asservatur, num aliqua eo super monumento explanatio inveniretur, a qua luminis aliquid historiæ meæ affulgere posset, interrogavi. Tum ille, nullam hactenus, eam præter descriptionem & enumerationem, Tabulæ interpretationem exstare confirmavit. Et verissime quidem. Nam licet in novissima Anastasii Editione (quod tamen, ut ingenue fatear, a me penitus ignorabatur) ornatus gratia exemplum Tabulæ adjunctum esset, eo prorsus pacto quo & antiquæ cælaturæ signa, & vasa ibidem inserta sunt; quamquam ad temporum supputationem nonnihil conduceret, nemo iccirco jure, Tabulæ editam interpretationem dicendum esse judicasset. Ulterius itaque petii, num eam Tabulam interpretandi, per ipsum mihi integrum esse posset; quibus ille humanissime: *Et integerrimum tibi hoc, & mihi idem accidet multo jucundissimum*. Ita brevem Tabulæ interpretationem ad caput Historiæ Antiatum tertium adjunxi, eodem omnino præfixo titulo qui in exemplo a Viro Amplissimo mecum communicato, legebatur. Ceterum, cum uberiorem Tabula eadem interpretationem, quodam veluti suo jure, exposcere videretur; ex illo jam me eam protinus habiturum spopondi. Et vertente anno Dissertationem edidi sic inscriptam: *Tabula Antiatina e ruinis Veteris Antii nuper effossa,*

inter-

Interpretatione & notis ab JOSEPHO ROCCO VULPIO Soc. Jesu Sacerdote illustrata. Romæ excudebat Joannes Maria Salvionus Typographus Vaticanus MDCCXXVI. Superiorum facultate. in 4. ch. maj. Libellum hunc Eminentissimo Principi ALEXANDRO ALBANO CLEMENTIS XI. P. M. fratris filio Cardinali Amplissimo per Epistolam dedicavi; in qua me ab eo Tabulam hanc, quam interpretarer, accepisse, disertis verbis, debita cum gratiarum actione, significavi. Porro summam quæ ad nitide eleganterque excudendum opusculum requirebatur, totam liberalissime Cardinalis idem ALBANUS produxit, editique exemplaria centum eadem mihi ex liberalitate donavit. Hæc, ut a me sunt exposita, ita gesta esse, idonei, præter ceteros, testes Viri eruditi duo fuerunt, ANTONIUS BALDANUS, & CAROLUS ARMAGNUS Cardinali eidem a Bibliotheca, per quos res tota tranquillissime, candidissime, ac media de luce, palam, Romæ, in omnium oculis transacta est. Jam vero in his ubi ullum audaciæ, aut arrogantiæ crimen? Legitimo aliquid Domino sponte tradente, idem perperam occupatur? ipse faciens liberalissime expensas censendus invitus? Sanus ne quisquam hoc judicet? Non puto. Ne sic quidem juste reprehendi possem, si unde unde acceptum exemplum Tabulæ jam editum, ac proinde publici juris factum, fuissem interpretatus. Quod enim typis semel editum est, id privati jam juris esse desiisse, inter omnes certissime convenit. Ergo

Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est. (Ovid. lib. 6. Metamorph.)

Sed jam ipsius memorati Scriptoris verbis defensio nostra confirmetur. Ait ille, Dissertationem meam *portar seco notizie non confacevoli all' espressione dell' Iscrizione e dell' altre parti da se spiegate*. Alia igitur omnino via Dissertatio mea incedit ab ea per quam ille in sua, quam edidit interpretationem, perrexit; dum monumenta parum congruentia suis explicationibus Dissertatio mea protulit? Si ergo in Occidentem ille Solem, ego vero in Orientem perreximus, quid caussæ est, cur iter suum a me sibi occupatum queratur? Addit, se, reliquum interpretationis nunc adjunxisse, *acciò possa ricopiarlo a suo bell' agio chiunque vorrà prendere la nostra spiegazione: e se la faccia pur sua chiunque vorrà dopo un' altro triennio, se gli parrà giustificata*. Ita ne vero, Vir eruditissime? Et quisquam interpretationem tuam describere, suamque facere ausus fuit? Certe mea multum discrepat istis & mens & ratio. Ac de altero quidem quo me insimulasse videri possit Vir doctissimus, crimine, me satis superque apud æquos judices purgasse jam videor. Nunc a me negligentiæ, atque ignorantiæ suspicionem amoliri conabor.

Ac primo quidem in universum culpare videtur Scriptor ille meam Tabulæ interpretationem iis verbis: *portar seco notizie non confacevoli all' espressione dell' Inscrizione?* Quid sibi volunt obscura hæc verba? Dissertationis meæ titulus est: *Tabula Antiatina interpretatione & notis illustrata*; num legitima ac germana non subest interpretatio? num notæ ad Tabulam illustrandam non suppetunt maxime appositæ? Nonne omnis ex optimis interpretibus, nempe Sertorio Ursato Patavino Equite eruditissimo, ac Laurentio Pignorio Pata-

tavino pariter, eximiæ eruditionis ac veterum notarum interpretandarum luminibus multo clarissimis, civibus meis, interpretatio mea concinnata est? Aut fortasse tu, Vir erudite, alium a Pignorio in novissima tua Sepulcralium Inscriptionum interpretatione secutus es? cum ne latum quidem unguem ab eo usquam discesseris. Meæ vero Dissertationis notæ ejusmodi sunt omnes, quæ antiquorum Latinorum Scriptorum testimoniis adductis, gravissimo tamquam calculo ac suffragio confirmantur. Non enim in his notis alia via ab ea quam viri sapientissimi in ætates singulas, interpretandis Veterum libris ingressi sunt, mihi incedendum esse judicavi. Præcipue vero Veterum Latinorum Poëtarum obscura quædam loca in medium adduxi, quæ lucem vicissim darent pariter & acciperent. Numquid tu in novissima tua interpretatione plus aliquid attulisti? Non puto. Attamen diversam bis terve a nostra interpretationem apposuisti. Quam hoc apposite & ad rem fuerit, amice hic disquiramus. Et primo quidem Tabulæ meæ Antiatinæ pag. 5. n. 30. has truncas notas ... APID interpretatus sum SERAPIDIS; & in notis ibid. pag. 16. n. 30. hæc adjeci ... APID. *De Serapide aliquid hoc loco memoratum ut credam, id facit, quod quattuor illæ truncæ literæ perdifficile alteri vocabulo accommodari eo ordine videantur.* Tu vero, Vir erudite, Inscriptionum Sepulcralium pag. 76. hæc habes: HER.... APID *il secondo alcuno frescamente ha creduto doversi interpretare di Serapide, benchè non sappia il come. Ma poteva riflettere, che manca il marmo in quella parte solamente di una lettera* L, *perchè s' intenda la professione di costui essere quella di* LAPIDARIVS *&c.* Falsum hoc; quod scilicet una tantum in marmore desit litera; cum pateat omnibus intuentibus, in linea illa sic inscripta HER....... APID septem, ut minimum, literarum spatium vacuum esse. Ceterum cum in Tabula & FORTVNARVM AEDITVVS, & VERNANI AEDITVVS legantur; si quis hoc loco AEDIT. SERAPID. *Aedituus Serapidis* interpretaretur, monstrosum nihil, sed neque multum a veritate alienum proferret. cum præsertim Serapidis, quemadmodum & aliorum Aegyptiorum deorum, cultus apud Romanos ea ætate fuerit frequentissimus.

Rursus in mea Tabula Antiatina illustrata, eadem pag. 5. n. 35. has literas AVG. L. IVSCVL. *Augusti Libertus Juscularius*, interpretatus sum. Et in notis ibid. pag. 18. num. 35. hæc addidi: *Hoc quidem animadvertendum, quod hujusmodi ministerio præpositus servus, nusquam, quod quidem ego sciam, præterquam in hac Tabula legatur apud auctores.* Quid tu ad hæc, Vir erudite? Audiamus. Pagina itaque 77. Inscriptionum Sepulcralium hæc habes: *Appresso a lui* FELIX AVG. IVSCVL. *Qui pure non dubita alcuno interprete di esporre* IVSCVLARIVS, *come io esposi tre anni avanti nel dare in pubblico la Inscrizione in fine della pagina* CCXXI. *de' Prolegomeni. Sembra però, che tal' uno ricerchi autorità di Scrittore, che lo comprovi. Se la desidera, non si arresti al Calepino solamente: dia un' occhiata all' antico Glossario Greco-Latino indicato da Martinio, e vi ritroverà* IVSCELLARIVS ζωμοποιὸς *Gl.* IDEST QVI IVRIS CONDIENDI EST PERITVS, *derivando il nome di* IVSCELLARIVS *da* IVSCELLVM *diminutivo equivalente all' altro più costumato di* IVSCVLVM,

LVM, *e usato da Prisciano, e da Macro; benchè io mi attenga più volentieri al* IVSCVLARIVS *di questa lapida, che al* IVSCELLARIVS *del manuscritto Glossario antico riferito da Martinio.* Pace tua tamen dixerim; quod me hactenus non invenisse, hic candide professus sum, tu quoque hactenus non reperisti. Siquidem, me apud Auctores Latinos, idoneosque Scriptores, nondum servum qui in aula Cæsarum præpositus fuerit Juri parando & apponendo, & *Jusculariius* sit appellatus, usquam præterquam in hac Tabula reperisse; hoc ajo. Sed neque *Glossarium* sive *Lexicon* Cyrilli apud Martinium idoneus est puræ Latinitatis auctor, neque *Juscellarius* idem est ac *Juscularius*, neque demum idem est *Juris condiendi peritus*, ac *Servus sive Libertus Juri parando aut apponendo in Cæsaris aula præpositus*. Jam vero eadem Inscriptionum Sepulcralium pagina 77. hæc subdis: *Il quarto* EVPHEMVS DISPENSATOR. *Tra il nome di* EVPHEMVS *e l'attributo del di lui ufficio* DISPENSATOR *si leggono quattro lettere* LIAN, *alle quali può essere, che manchi un dittongo da premettersi per significare* AELIANVS. Si possibilia sectamur, mirabilia profecto dicemus. Sed eo ordine quo in Tabula eæ literæ LIAN a te ipso, Vir erudite, dum lapideas notas in æs incidi primo curasti, repræsentatæ sunt; duabus AE quas dicis posse suppleri, locus minime suppetit. Ita enim omnino in Tabula hæ leguntur: EVPHEMVS LIAN DISPENSATOR. Ubi vides spatium nullum pro literis, quas intrudere nunc conaris, AE collocandis relictum esse. Nos vero Tabulæ nostræ illustratæ pag. quinta n. 37. ita interpretati fuimus: LIAN. *Libertus Antonini, vel Antonii, vel Annonæ, vel Antii Dispensator*. Harum interpretationum quamlibet acceperis, ea magis semper apposita erit, quam tua, in qua legendum putas AELIANVS. Scio nonnullos cum Fabretto putasse, apud Veteres *Liberti* nomen vel una L. tantum, vel tribus his literis LIB. semper; numquam vero duabus tantum LI. inscribi in lapidibus consuevisse. Verum male & falso omnino putarunt. Siquidem *Liberti* nomen, & L. & LIB. & LI. inscriptum promiscue fuisse, antiqui lapides satis ostendunt. Afferam duos tantum, ne longum faciam. Bernardinus Scardeonius Antiquitat. Patavinar. Lib. 1. Class. 4. pag. 61. edit. Basiliensis MDLX. in folio, inscriptum antiquum lapidem inter alios refert, effossum in Monte Buso agri Patavini vico in hæc verba:

T. PVLLIO T. F.
L. LINO IIIIII
VIRO AVG.
ALBIA LI. MILPNE
SIBI ET
VIRO
V. F.

Et pagina 73. ejusdem Libri & Classis affert auctor idem, inter ceteros, lapidem in ædibus Alexandri Bassiani Patavii exstantem his notis inscriptum:

..LI.

..LI. SVIS..
..L. RAETIO T. L.
..ABASTO GALAI
L.

Sed jam ad graviora transeamus. Ait enim Vir doctissimus Inscriptionum Sepulcralium pagina 77. *Termina la Colonna con il Consolato quinto di Claudio, a cui fu dato Collega Servio Cornelio Orfito, e con i nomi delli Deputati. Ma prima di riferirli è necessario di avvertire, che niuno ricerchi questo Consolato, e gli antecedenti della presente Inscrizione, ne'* FASTI CAPITOLINI, *benchè alcuno abbia scritto, che vi si leggono distintamente così segnati:*

TI CLAVDIVS DRVSI F. CAESAR AVGVSTVS
GERMANICVS V. SER. CORNELIVS SCIPIO ORFITVS.

Nelle lapide antiche de' Fasti del Campidoglio (che sono i FASTI CAPITOLINI) *non li vedrà certamente, perchè di que' marmi preziosi, che sono stati il lume dell'Istoria profana, da che furono estratti dal Foro Romano sotto Paolo III. sino al presente giorno, più oltre dell'Imperio d' Augusto non si è mai potuto ritrovare la continuazione.* &c. Pergis, Vir erudite, multis ostendere quod omnibus jam notissimum erat. Verum fidem tuam hic appello. Nonne in mea Tabula Antiatina illustrata, cum Fastos Capitolinos nominarem, me illos ex recensione & adjectione Stephani Vinandi Pighii appellare, sæpius significavi? Lege, Vir erudite, ibid. pag. sexta num. 1. & invenies hæc verba: *In Fastis Capitolinis apud Pighium sic notantur*, & pag. septima num. 4. *neque in Fastis Capitolinis apud Pighium*. & ib. n. 5. *Siquidem Fasti Capitolini apud Pighium sic eos notant*. Itaque non Capitolinos ipsos inscriptos Consulares lapides, sed Stephani Vinandi Pighii descriptum inde exemplar cum adjectione appellavi. Quod & nunc appello, & si tu, Vir erudite, ipsum adibis, eos Consules, prout a me descripti sunt fidelissime, notatos invenies. Est autem titulus Libri: *Fasti Magistratuum Rom. ab U. C. ad tempora D. Vesp. Aug. a Stephano Vinando Pighio suppletis Capitolinis Fragmentis restituti*, in Tom. XI. Thesauri Antiq. Romanar. congesti ab Jo. Georgio Grævio Edit. Trajecti ad Rhen. & Lugd. Batav. per Franciscum Halman, & Petrum Vander Aa. MDCXCIX. in fol. pag. 217. linea 19.

Itaque non Fastos Capitolinos tantum, verum Fastos Capitolinos ex recensione Pighii, sive apud Pighium, recitavi, cum additione scilicet per Pighium ex antiquis lapidibus concinnata. Quod autem bene ii Fasti Capitolini appellentur, inde patet, quod cum potissima eorumdem pars ex Capitolinis Tabulis descripta fuerit, reliquæ parti jure optimo suum nomen attribuit. Ecce tibi, Vir erudite, difficultatem omnem placidissimi instar æquoris apud æquos rei æstimatores facillime complanatam. At tu pergis adhuc, & pag. tuarum Sepulcralium Inscriptionum 78. hæc scripsisti: *Il terzo scritto* POR. ....ILIC *a me sembra, che debbia leggersi* PORTVS VILICVS,

cioè

cioè Custode di quel recinto, e di quella fabbrica del Porto; o pure PORTICIS VILICVS; *giacchè nell' antica pittura, che ci dimostra Bellori nella prima pagina de' suoi dottissimi Comentarj* in fragmenta vestigii veteris Romæ *vedesi rappresentata su la riva del mare in vicinanza del porto con questa inscrizione* PORTEX NEPTVNI. *Se altri poi ha interpretate le sopradette lettere indicatrici della professione di questo Deputato quasi dicessero* PORTITOR ILICVM; *faccialo a suo piacere. A me non piace di dare questo Mazziere a' Liberti della Casa di Augusto, nè pure in questo Magistrato di poche tavole.* Age vero, quam multa, paucis his verbis, abs re, & quam maxime aliena congesseris, mecum, Vir erudite, perpende. In primis, *Custodem Portus* ais *Villicum*, & una quidem *l* tantum, nempe sic, *Vilicum* appellatum; quod est in tota Latinitate, ut quidem ego arbitror, novissimum, nempe, quod, custos Portus privati sive ædificii ad Portum, *Villicus Portus* dictus sit. Quamquam autem *Vilicus* una tantum *l* in lapidibus aliquando legatur, in hac Tabula tamen SVBVIL tantum scriptum legimus. Rursus, ais ad Portum Antiatum, immo in ipso Portu ædificium privatum fuisse Cæsarum domus; quod non tantum gratis, verum etiam contra omnia Scriptorum testimonia, si quid judico, videris asserere. Siquidem Antiatum Portus publicus semper fuit, nec a privatorum, immo nec Cæsarum ædificiis umquam clausus; sed patens omnino, & ad excipiendas naves semper apertus. Licet optime noverim Antii ad mare, non tamen in ipso Portu, magnificentissima olim exstitisse ædificia regiis Romanorum sumtibus excitata. Tertio; ais eas literas POR..... ILIC.. sic legi posse: PORTICIS VILICVS. Unde quæso hanc vocem PORTEX in Latium infers? At Bellorium appellas. At ultra ruderum mensuras, & descriptiones, vix certi aliquid Bellorius attulit. Scio & vidi ipse quoque poëticam quamdam picturam, in qua ædificia quamplurima nobilissima ad mare ædificata cernebantur, columnis, fornicibus, fastigiis, statuis exornatissima, mutilis cum inscriptionibus, in quibus & *Templum Apollinis*, & *Forum Olitorium*, & *Horrea Publica*, & demum laudatus hic tuus *Portex Neptuni* legebantur. In Museo ALEXANDRI ALBANI Card. Amplissimi exactam poëticæ hujus picturæ descriptionem non vidi solum, verum & attente consideravi; doctique viri eamdem mihi ostendentis sententiæ statim subscripsi; poëticum eam figmentum esse hominis, qui Romanorum ad Antium rusticantium magnificentiam quidem repræsentare ad vivum conatus fuerit; numquam tamen historici, qui antiquum Antiatum Portum ex vero atque exacte descripserit. cum nullis Veterum testimoniis, ita ornatum eum Portum fuisse, nobis constet. Nunc ad me venio. Itaque Tabulæ Antiatinæ pag. 20. num. 40. hæc scripsi: POR ILIC PORTANDIS ILICIBVS. *Hic enimvero, si usquam alibi, me concisarum literarum sententiam assecutum esse in illis interpretandis, asseverare non ausim. Conjecturam itaque tantum sequor ex eo quod notæ illæ vix aliam sententiam, quæ ad rem sit, conficere posse videantur. Quomodo autem ad rem esse possit interpretatio nostra, paucis accipe quisquis hæc legeris. Portandis igitur Ilicibus præfectus sive præpositus iis notis fortasse describebatur, quia non solum servos arboribus portandis destinatos in locis præcipue mari-*

maritimis ſæpe legimus apud Veteres , ſed & Collegia Dendrophororum , hoc eſt , arbores portantium , in urbibus ad mare ſitis , quæque portu munirentur , fuiſſe , ex Inſcriptionibus liquido apparet . quid mirum itaque , ſi Antii in urbe olim opulentiſſima , portu firmiſſimo aucta , atque ad navium commercia maxime opportuna , inter innumeros Cæſarianorum Servorum ſeu Libertorum greges ac titulos , etiam ſervus portandis ilicibus , ad naves ſcilicet conſtruendas , præpoſitus fuiſſe legatur ? Collegii Dendrophororum meminit Vetus Inſcriptio ap. Fabrett. c. 10. p. 722.

T. IVLIO EVTICHETI PATRON:
ET RECTORI COLLEG. DEND: SING.

Et poſt alia , quæ brevitatis gratia omittimus , ſubdit :

COLLEGIVM DENDROFR. POSVERVNT. &c.

Item altera Inſcriptio apud eumdem Fabrettum eodem cap. 10. pag. 731. Dendrophororum Collegium Scaphariis aliiſque hujuſmodi operis adjungit . De Dendrophoris tandem vide Legem primam Codicis Theodoſiani De Centon. & Dendroph. Vides , me non ex tripode hanc interpretationem pronuntiaſſe , verum me conjecturam tantum , eamque non firmiſſimam , ſecutum , aperte profeſſum eſſe . Ceterum , in re dubia veriſimile ſaltem quid protuliſſe ajo , & confirmo . Nam præter allata teſtimonia Collegii Dendrophororum , arbores nempe portantium , in urbibus ad mare ſitis , ad navium immo claſſium inſtructiſſimarum conſtructionem ; ſilvarum quoque vaſtiſſimarum , quæ Antium longe lateque ab antiquiſſimis temporibus circumſtant & protegunt , perpetua copia , ilicumque per eos tractus præcipua ſatio , interpretationi meæ non leviſſimum pondus addere poteſt . Neque ego ſervum hunc , de quo nunc eſt ſermo , (quod tu , Vir erudite , cavillaris) PORTITOREM ILICVM feci , verum Portandis Ilicibus Præfectum fuiſſe ſuſpicatus ſum . Unde jocis , quod res hæc eſſet *Magiſtrato di poche tavole* , ſi verbis meis attendiſſes , locum nullum reſiduum fuiſſe ſatis cognoviſſes , neque *Portandis Ilicibus Præfectum* , per Italicam vocem *Mazziere* umquam vel joco interpretatus eſſes . Memineris velim , haud multis ab hinc annis , locupletiſſimos atque honeſtiſſimos tum ex Etruria , tum ex Galliis mercatores ad haſce eaſdem ſilvas quæ circa Antium ſunt , cædendas conveniſſe , ex iiſque principem quemque cædendis atque ad mare portandis ilicibus aliiſque id genus arboribus præfectum conſtitutum , quin eorum quiſquam vili hoc *Clavarii* (ſic enim recte interpretaberis *il Mazziere*) vocabulo traductus fuerit . Ceterum , non modo ſilvas quæ in planitie circa Antium , Aſturam , Ciſternam , Setiam , Tarracinam , Circejos , & Fundos ſunt copioſiſſimæ , frequentiſſimis ilicibus ſatas ; de quibus Maro Aen. 8. v. 43.

Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus ;

& Aen. 9. v. 381.

Silva fuit late dumis atque ilice nigra
Horrida . & lib. 11. v. 851.

verum

verum & in vicinis Latinis montibus, ac præcipue Algido, & modo & antiquitus fuiſſe, plane conſtat. De illis Horatius: Lib.4. Od.4.

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Et rurſum: Lib.3.Od.23.

Nam quæ nivali paſcitur Algido
Devota quercus inter & ilices,
Aut creſcit Albanis in herbis
Victima Pontificum ſecures
Cervice tinget.

Sed & creberrimas per totam Italiam ilices fuiſſe tum in planitie, tum in montibus, ex earumdem apud Veteres frequentiſſima appellatione patet. nonnulla afferam loca. Horat. Epod. Od. 10.

Inſurgat Aquilo quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.

Virg. Aeneid. 12. v. 701. & ſeqq.

Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipſe coruſcis
Cum fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
Vertice ſe attollens pater Apenninus ad auras.

Et Georgic. 3. v. 332.

Sic ubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacra nemus accubet umbra.

Præter plurima alia loca, in quibus ilicum apud hunc auctorem fit mentio, quæ prudens, ne longum nimis faciam, prætereo. Quin & lucos ſola ilice ſatos, & frequentes, & prope villas & prætoria amaviſſe Veteres, quos *Iliceta* appellabant, habemus ex Martiale lib. 12. Epig. 19.

e cathédra
Surgentem focus excipit ſuperba
Vicini ſtrue cultus iliceti.

Hæc vero iliceta frequentia fuiſſe per Italiam, & illud confirmat, quod multa in hac regione adhuc loca inter nemora poſita *Iliceta* appellentur, vernacule nunc *Lecceto*. Quam vero ad naves exſtruendas aptæ ſint ilices, vel ex eo colligas, quod ætatem vivunt diuturniſſimam, ac proinde in incredibilem molem & craſſitudinem excreſcunt. Utriuſque, ætatis ſcilicet & molis, in Latio exempla habes præclariſſima apud Plin. lib. 16. cap. 44. ubi de longiſſima ætate hæc habet: *Vetuſtior autem Urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Etruſcis, religione arborem jam tunc dignam fuiſſe ſignificat. Tiburtes quoque originem multo ante Urbem Romam habent. Apud eos exſtant ilices tres etiam Tiburto Conditore eorum vetuſtiores, apud quas inauguratus traditur.* & de mole ibid. infra: *In ſuburbano Tuſculani agri colle, qui Corne appellatur .... vicina luco eſt ilex & ipſa nobilis, XXXV. pedum ambitu caudicis, X. arbores mittens, ſingulas magnitudinis viſendæ: ſilvamque ſola facit.* Denique uſos ilice antiquos ad lignea conſtruenda ædificia, præter alia teſtimonia quæ afferri poſſent, habes Aeneid. 4. v. 504.

At Regina, pyra penetrali in ſede ſub auras
Erecta ingenti, tædis atque ilice ſecta.

Et lib. 6. v. 180. *ſonat icta ſecuribus ilex.*
Et allatum Horatii:

Duris ut ilex tonſa bipennibus.

Statius denique Thebaidos ſexto:

Ornique, iliceæque trabes, metuendaque ſucco
Taxus.

Quæſo te nunc, Vir erudite, quid incredibile protulerim, quod inter Libertorum ac Servorum greges, aliquem *Portandis Ilicibus præfectum* fuiſſe Antii dixerim? Afferas modo tu quoque teſtimonia de tuo illo *Portice Neptuni*, vel de tuo *Vilico Portus*; nam libentiſſime diſcam. Non omiſerim, quod inter legendum tum hujus Tabulæ tuam noviſſimam interpretationem ad Sepulcralium Inſcriptionum calcem appoſitam, tum Inſcriptiones ipſas Sepulcrales, multa ab eruditis Viris notata fuerint, quæ ſecundis curis maxime indigent. Quam multa enim Servorum miniſteria inexplicata relinquis! Certe in hac Tabula quid ſit *Tector*, *Politor Adjuti*, atque alia ejuſmodi, ſilentio præteris. Rurſus *Vernani diem feſtum* in appoſito Calendario ſub die quartadecima Octobris notatum dicis, quod, ſi diligentius Tabulæ fragmenta inſpicies, falſum eſſe deprehendes. Mitto, quod repetas SEPVLLIVS pro SEPVNIVS, TRYPHO pro TRYPHON, & ſexcenta alia typorum errata, quibus paſſim Inſcriptiones tuæ Sepulcrales, operarum vitio, ſcatere deprehenſæ ſunt. Rurſum CAMP. interpretaris *Campanus*, SPEC & PECLAR *Specularius*. LIAN *Aelianus*, nullis productis Auctorum teſtimoniis.

Jam vero, Amice Lector, cum me ab utraque tum arrogantiæ, tum ignorantiæ nota ſatis ſuperque purgaſſe hactenus videar; quid in Sexto & Septimo Latii Veteris Profani Libris tibi legendum nunc offeram, pauciſſimis indicabo. De Veliternis Sextus eſt Liber, eo prorſus ordine deſcriptus quo Quartus fuit de Antiatibus. In eo antiquos præter ſcriptores, & vetera monumenta a me viſa ac diligenter inveſtigata, ALEXANDRI quoque BORGIAE Patricii Veliterni, olim Nucerini, nunc vero Firmani Antiſtitis, accuratam Hiſtoriam de Veliternorum rebus, ſacris præſertim, nuper editam ſecutum ſæpius fuiſſe me, noveris. Ceterum, Vir clariſſimus (ut excelſo eſt animo) æque feret, ſi veritatis propius inveſtigandæ deſiderio, aliquando ejus ſententiæ ſubſcribere recuſaverim. De Coranis celeberrimis iis pariter Latii populis Septimus Liber inſcribitur. Apud illos vetera monumenta omnia præſens relegi. Unde neque mirum, neque novum accidat tibi, Amice Lector, ſi inter illa, Inſcriptiones aliquas a me hic editas leges immutatas nonnihil & diverſas ab iis quas Gruterus olim in ſuo Theſauro deſcriptas edidit. Ipſe enim amicorum ſchedis, ego vero nonniſi oculis ipſis meis, doctorumque amicorum, qui una mecum eaſdem legére, fidem habui. Coranis Signinos conterminos eodem tamen Septimo Libro incluſos adjecimus. Veterum in iis locis ædificiorum ac monumentorum reliquorum inſigniora quæ exſtant rudera, in æs incidi atque hic expreſſa apponi, de more curavimus, ut gratiora quæ leges, tibi acciderent, & eadem quaſi præ-
ſens

ſens oculis uſurpare ac luſtrare poſſes. Tu, ſi argumenti quandoque me dulcedine atque amœnitate illectum divertiſſe nonnihil a propoſita narrationis via, deprehenderis, ne reprehendas tamen. Non enim intra rigidas Hiſtoriæ leges, ſcribere me profiteor; verum Commentaria quædam erudita, quæ laxioribus terminis continentur, in medium afferre. Ita enim ſcribere me, ille qui mihi animos ad ſcribendum ſufficit, ipſe præcepit. Tu per meos fines ac varia ſcripta lenis incedas, abeaſque parvis æquus alumnis. Vale.



Antiqua locorum quæ in his libris deſcribuntur, nomina cum recentibus collata.

ARA-JANI, *ſive* Arianum, *oppidum olim juxta Velitras in monte ſitum in Septemtriones; a Veliternis jam expugnatum; nunc dirutum omnino jacet. locus Veliternis dicitur* La Montagna dell' Ariano.

Cæſaria *Villa in collibus prope Velitras, Ariciam verſus; locus ubi Atiæ Auguſti Cæſaris matris Villa fuiſſe dicitur. nunc incolis* San Ceſareo.

Collis-Nervæ, *locus in agro Veliterno, altero ferme ab urbe lapide, Coram verſus, ubi Cocceji Nervæ Romanorum Imperatoris XIII. Villa fuiſſe creditur. hodie* Colle-Nervo.

Collis-Othonis, *locus prope Velitras, ubi veſtigia Villæ magnificentiſſimæ, quæ M. Salvii Othonis Romanorum Imperatoris VIII. fuiſſe creditur. nunc* Colle-Ottone.

Cora, *vetuſtiſſima Antiqui Latii Urbs, Romana Colonia, in finibus Volſcorum ſita, in montis dorſo, Velitras inter & Setiam, 30. circiter m.p. Roma diſtans. Hodie* Cori *&* Core. *Populi olim* Corani, *nunc* Coreſi.

Julianum, *locus in Valle Veliterna Coram inter & Velitras, ubi Gentis Octaviæ, quæ poſtea* Julia *dicta eſt, Villam antiquitus exſtitiſſe, quidam memorant. nunc ſine Veterum ædificiorum veſtigiis oppidulum ibidem viſitur ex antiquo vocabulo* Giuliano *dictum.*

Medullia, *Veteris Latii quondam Urbs ab Albanis condita, Tulli Hoſtilii Romanorum Regis tertii patria, & ex primis Romanorum Coloniis. Exciſa jamdiu jacet ſine veſtigiis.*

Signia, *Urbs Volſcorum in Latio, Colonia olim Romanorum in ſummo* Lepini *montis jugo. diſtat ab urbe Roma 30. m. p. a Præneſte 9. hodie* Segni *&* Segna; *populi olim* Signini, *nunc* Segnani.

Sil-

Silva Veliterna, *vetustissima in montibus prope Velitras, Algidum versus, latrociniis infamis. nunc* La Fagiola, *seu* La Fajola.

Solis & Lunæ, *sive* Ad Sponsas, *locus tertio a Veliterna urbe lapide in meridiem juxta Appiam viam, ubi alii templum Solis & Lunæ, alii diversorium & oppidulum* Ad Sponsas *dictum fuisse existimant. hodie* Solluna.

Tiberia, *Tiberii Cæsaris Romanorum Imperatoris III. Villa magnificentissima, Velitras inter & Cisternam in planitie juxta Pontinum. Ex ejus ruderibus oppidulum inde excitatum, quod tamen jamdiu in ruinis jacet. hodie loco nomen, ex antiquo,* Tivera.

Velitræ, *Urbs olim Volscorum nobilissima in Latio, Romanorum Colonia, 20. m. p. Roma distans, in colle haud ita procul ab Appia via post Aricinam Vallem sita. hodie* Veletri. *Populi quondam* Veliterni, & Velitrini, *nunc* Veletrani.

Ulubræ, *antiquum Latii oppidum juxta Velitras, in quo Augustus Cæsar ex Gente Octavia Veliterna nutritus & educatus fuit. Colonia olim Romanorum in Pontino. Excisum jamdiu jacet sine vestigiis.*



IN-

INDEX CAPITUM.

LIBER SEXTUS.

DE VELITERNIS.

LIBER SEPTIMUS.

DE CORANIS.

MI-

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUm Librum cui titulus : *Vetus Latium . Tomus Quartus . in quo agitur de Veliternis , & Coranis* , a Patre Josepho Rocco Vulpio Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur . Cujus rei gratia, has Litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 14. Aprilis 1727.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS.

Locus ✠ sigilli .

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVENDO veduto per la Fede di Revisione, e d' Approvazione del P. F. *Gio. Pellegrino Gallassi*, Inquisitore di *Padova*, nel Libro intitolato : *Vetus Latium Profanum . Tomus Quartus . in quo agitur de Veliternis , & Coranis , Auctore Josepho Rocco Vulpio Soc. Jesu Sacerdote;* non esser cosa alcuna contro alla Santa Fede Cattolica; e parimente, per Attestato del Segretario Nostro , niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino* Stampatore in *Padova* , che possa essere stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 24. Agosto 1727.

(Carlo Ruzzini Cav. Proc. Rif.
(Alvise Pisani Cav. Proc. Rif.
(

Agostino Gadaldini Segretario.



VETUS LATIUM
PROFANUM
LIBER SEXTUS
DE VELITERNIS

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Velitrarum origine.



HACTENUS de Antiatibus & Norbanis, vetustissimis illis quidem Latii populis, verum, quorum urbes excisæ nil nisi rudera ac vestigia sui ipsarum ostentant. Nunc de Veliternis agendum, quorum urbs ad nostram usque ætatem viget ac floret. Nescias tamen (quæ humanarum rerum conditio est) nescias, inquam, quid magis optandum historico sit, utrum de urbibus jam excisis historiam scribere, an florentium adhuc populorum res gestas ac monumenta com-

ta commemorare. Magna enim in utraque ſcribenda hiſtoria ſeſe objiciunt impedimenta, quæ narrationis curſum uſque adeo retardant, ut illum quandoque penitus vix non abrumpant. Siquidem de excisis urbibus hiſtoriam ſcribenti, earumdem, quæ recenſeat monumenta diligentiſſime ac improbo ſane labore conquirenda ſunt; cum paucis admodum ante illum exciſarum urbium res ad poſteros narratione transferre cordi fuerit. Quærenti proinde ac diligentiſſime inveſtiganti antiquitatem omnem perpauca admodum eaque manca mutila trunca ac graviſſimis vulneribus fœda *& lacera crudeliter ora, ora manuſque ambas* (fas ſit dicere) monumenta occurrunt, quæ ſegetem ac materiam hiſtoriæ conſcribendæ nonniſi exiguam incertamque præbere poſſint. Populorum vero adhuc florentium res ſcribere conantibus denſiſſima Scriptorum, qui antea ſcripſerunt ſeſe opponit nubes, quæ incertis variiſque ſententiis omnia involvens ac diſtrahens, incerta omnia atque infirma uſque adeo reddit, ut ipſi quid potiſſimum fugiant, quidve tamquam verum ſequantur prorſus ignorent. Hoc autem Scriptorum præcipue vitium eſt, qui patriæ peculiarem hiſtoriam deſcripſerunt. Dum enim in amplificandis patriæ ſuæ rebus & ornandis toti ſunt, veritatis ſtudii ſæpenumero (quod tamen primum in hiſtoria ſcribenda rerum dicendarum fundamentum eſſe debet) veterumque auctoritatis negligentes ac pæne obliti, omnia leviſſimarum conjecturarum, quas recentiores Scriptores multi ſectati ſunt, ductu perſequentes, non quid revera fuerit, verum, quid maxime fuiſſe ipſi deſideraverint, patriam ſuam ſecuris incautiſque lectoribus ſuis ingerunt. Hæc a me ſub hujus libri initium ne fruſtra videantur commemorata,

rata, quæ deinceps ſequentur, rerum ſeries oſtendet. Siquidem in illis ab recentioribus non ſemel ſententia mea diſcrepabit, veterum tum Scriptorum tum monimentorum gravem multo magis ac ſtabilem auctoritatem ſecuta.

Veliternorum itaque urbs antiquiſſima intra veteris quidem Latii fines, verum Volſcæ gentis Velitræ fuerunt. Ejus originem, ut in vetuſtiſſimis urbibus ferme fit, ad alios alii referre conati ſunt. Lacedæmonios 1. quidam gentis atque urbis auctores, for- 1. Baſſus de Veliternis.
tiſſimamque Argonautarum manum Velitras condidiſſe arbitrati ſunt. Qua vero fulti auctoritate id ſcribere auſi ſint, nullus hominum adhuc proferre potuit. Venuſtior eſt, quam 2. quidam de Electra tradunt, 2. Teul. deſcript. Veliter.
fabula. Ajunt enim, Electram Atlantis filiam, Dardani matrem, Velitris de ſuo nomine nomen dediſſe. Scilicet Atlanta Electræ patrem anno poſt Noemi proavi diluvium ſexcenteſimo & ſeptuageſimo Italiæ atque adeo Latii oras tenuiſſe, regioniſque cultu ac cæli ingenio delectatum, urbem condidiſſe, deque filiæ ſuæ natu maximæ Electræ nomine, exigua literarum mutatione, Velitras appellaſſe. Adduntque, ut fabulæ fidem aſtruant, eo pacto ab Electra Velitras dictas, quo ex Eſta Veſta, ex Elia Velia, ex Henetis Veneti facti ſunt. Verum inter fabulas hanc ſententiam libenter cum Ughellio 3. relinquam; 3. Ital. Sacr.
nam qua illam confirmare poſſim, auctoritatem nondum inveni. Saturno alii Velitras veluti conditori adjudicandas eſſe opinati ſunt. Latium quidem tenuiſſe Saturnum, ibidemque latuiſſe, Latiumque vocari maluiſſe, *his quoniam tutus latuiſſet in oris*, nemo neſcit, & ſæpius etiam a nobis in hac hiſtoria commemoratum eſt. Verum Velitras Saturnum condi-

dilfe qui credam? Audi ineptam omnino ac leviffimam conjecturam. Sagos Saturni focios dictos noveris. Hebraica vero lingua *domum* five *tentorium*
4. Ap.Teul. 4. five *receptaculum ola* dici memineris. Conjunge itaque nunc fectatorum Saturni nomen *Sagi* cum Hebraica antiquiffima voce *ola*, & *Sagiola* conficies, cujus vocabuli fi primam literam *S* in alteram *F* converteris, *Fagiola* habebis, filvæ fcilicet celeberrimæ nomen, apud quam Velitræ urbs conditæ funt. *Auditum admiffi rifum teneatis amici?* Si tamen non rifum, fed ftomachum, iram atque indignationem juftiffimam in otiofos illos hiftoricos ne an fabulatores ineptiffimos, qui talia pigmenta & figmenta commenti funt, eademque fecuris & ofcitantibus lectoribus ingerere confidentiffime non dubitarunt. Quanto hoc fimplicius ac verius? Silvam quam dicimus *la Faggiola* latrociniis infamem, ex multa fago, qua confita antiquitus fuerit, nomen duxiffe, omnibus fabularum involucris, longiffimeque petitis originibus amandatis, plane fateri? Ab Jano nunc eft qui Veli-
5. Ap.eund. trarum originem velit deducere. Janum 5. namque, qui & Noemus, Italiæ appulfum Tiberim tenuiffe cum fociis, quorum aliquos voluptate novæ regionis detegendæ vifendæque adductos ad dexteram fluvii ad collem ufque, in quo Velitræ fitæ funt, excurriffe; ibidemque loci amœnitate delectatos domicilium figere decreviffe, cui urbis inftar jam habenti ab exploratione nomen impofuiffe. *Bel* enim hebraice (quo fermone Janigenas ufos ajunt) & *Jetro*, veterem exploratorem fignificare. Hæc qui afferunt, hebraice quidem noffe aliquid, non tamen hiftoriam fcribere dicendi funt. Auctoritate enim eft opus in his rebus vetuftiffimis & remotiffimis longiffimeque petitis af-
feren-

ſerendis. Quæ cum apud veteres Scriptores nuſquam commemorentur; ſi quis inter meras fabulas eaſdem computare velit, is demum ſapere, mea quidem ſententia, dicendus erit. Neque vero quemquam movere debet ad Jano Velitrarum originem adjudicandam, quod in agro Veliterno ingens nummorum vetuſtiſſimorum copia ſingulis ferme annis reperta ſit, in quibus Janus bifrons inſculptus cernitur. Hi enim nummi paſſim & in aliis agris per Italiam, & vero per Latium maxime, reperiuntur; quin tamen urbium origo, ad quas ii agri ſpectant, ad Janum, tamquam ab eo conditæ fuerint, revocanda ſit. Janus certe ab univerſa ferme Italia cultus antiquiſſimis temporibus fuit, cujus rei vel ſolus Janiculus mons Romæ luculentiſſimum teſtimonium exſiſtit. Fateamur itaque (nil enim pudet) Velitrarum urbis conditorem nos ignorare. Illud tantum in univerſum aſſeverare & confirmare poſſumus, hanc urbem a primis illis antiquiſſimis populis, qui Italiæ regionem iſtam incoluerunt, conditam fuiſſe. Quid enim Velitrarum vetuſtiſſimam, ita dixerim, vetuſtatem magis confirmet, quam ejus originem, conditorem, conditæque tempus a nullis quantumvis vetuſtis Scriptoribus memoriæ proditum eſſe? cum ceteroquin id non contemtu aliquo, perinde ac ſi urbem parvipendendam exiſtimaverint, ab iis factum ſit. Nam, præterquam quod & minimorum locorum origines & conditores ſæpius ab iiſdem commemorantur, Velitræ urbs fuit nobiliſſima ac præpotens, cujus ferme annua bella ad aliquot ſæcula cum Romanis commiſſa diligentiſſime a clariſſimis hiſtoricis 6. Livio præſertim & Dionyſio 7. recenſentur, & dum de Auguſti Cæſaris natalibus ſermo incidit, ab omnibus fere antiquis Scriptoribus Velitræ com-

6. *Dec. 1. plurib. loc.*

7. *in Libr. Antiq. Roman.*

commemorantur. Maneat igitur; a priſcis quidem Latii populis Velitras conditas fuiſſe; ejuſdem tamen condendæ auctorem conditoremque ipſum nos ignorare. De urbis autem nomine id tantum occurrit. Velitras a Latinis multitudinis numero urbem eſſe appellatam, quod præter cetera quæ deinceps commemorabimus, ejuſdem urbis amplitudinis, attente rem expendenti non minimum eſt argumentum. Multitudinis enim numero appellabant veteres eas urbes, quæ plurium inſtar urbium eſſent. Ita Syracuſas dixere non Syracuſam, eo quod ingens ea urbs in quatuor veluti minores urbes divideretur. *quadruplices* proinde a Scriptoribus Syracuſæ 8. appellatæ. Quæ etiam peculiaribus nominibus Neapolis, Achradina, Tyche, & Inſula vocabantur. Ita de Athenis, Patris, Piſis, aliiſque olim. Et ſæculis ab noſtra hac ætate minus remotis Venetorum urbs nobiliſſima Venetiæ multitudinis numero ab ipſo ſui exordio appellata eſt: quod multis inter Adriatici ſive Superi maris æſtuaria ſurgentibus inſulis per pontes conjunctis, ex totidem veluti parvis urbibus quot illæ forent, maxima illa urbs urbiumque prodigium confecta eſſet. Velitras itaque ſi quis ex ipſo, quo appellata eſt, vocabulo, ingentem nobilem celebrem ac populoſam olim urbem fuiſſe aſſeveraverit, is, quo nitatur, haud infirmum ac leve fundamentum habebit. Fuere autem Velitræ Volſcæ quidem gentis, verum, eo quod veteris Latii intra fines eſſent, Latini ipſæ quoque nominis Latinis feriis, ad ſacrificia Latiali Jovi in Monte Albano facienda, capiendamque viſcerationem, 9. & Latinorum Concilio ad Ferentinæ lucum indicto ad radices Albani montis quotannis, ut ceteri Latii populi, interfuerunt. Milliaria

8. *Cic. 6. Verr.*

9. *Vide Corradin. lib. 1. Vet. Lat.*


ria ferme viginti ab Urbe Roma, si breviorem ac compendiariam, quæ Mariano nunc *Marino* transit, viam ceperis, Velitræ distant. Euntibus vero antiqua Appia Via atque Albano transeuntibus quatuor circiter & viginti mille passuum iter Romam usque conficiendum restat. Quod viarum discrimen in varias de Velitrarum ab Urbe Roma distantia sententias auctores traxit. Cum 10. viginti milliaria nonnulli, nonnulli vero quatuor & 11. viginti hanc urbem Roma distare scriptum reliquerint. Quibus omnibus optime poterit convenire, si de diversis viis eos locutos esse intellexerimus. Urbs quidem in colle seu clivo peramœno jacens in ortum Præneste, Coram, atque Norbanos montes; Pomptinas paludes in meridiem, Circejos ipsumque Tyrrhenum mare; in occasum vero Ardeam Rutulorum quondam principem urbem, Antiumque promontorium; ac demum in Septemtriones Arianas & Algidenses in montibus silvas prospectat. Murorum, quibus nunc cingitur, circuitus tertium milliare non excedit. Cum tamen amplius multo antiquitus spatium mœnibus eam inclusisse tot bellorum & rerum gestarum gloria dubitare non sinat. Eodem illam loco nunc esse, quo primum condita fuerit, minime dubitandum. Excisam enim, ut de aliis quamplurimis legimus, ac funditus eversam nusquam memoriæ proditum est. Velitræ alio aliis ætatibus nomine sunt appellatæ. Latini veteres 12. *Velitras* constanter dixerunt, populosque *Veliternos* & *Velitrinos*, quemadmodum in numerorum supputatione *ternos* & *trinos* pariter usurpaverunt. Et hæc quidem de urbis origine.

10. *Baudrand. in Lex. & alii.*
11. *Kircher ex Cluver.*
12. *Liv. Sueton. &c.*

CA-

CAPUT II.

De Veliternorum adversus Romanos Bellis, unde & Velitras Romana Colonia deducta.



AM vero Veliternorum sese offerunt renovata sæpissime, ac ferme in singulos annos, Livio teste, contra Romanos bella. Equidem novi multas urbes populo Romano infanti veluti atque adhuc recens nato bellum intulisse: Veliterni tamen non solum in Romæ nascentis exordiis, sed ad trecentos ferme annos nullis umquam cladibus acceptis satis domiti cum Romanis de imperio contendere perseverarunt. Hic autem, num Veliternorum urbs totius Volscæ gentis princeps aliquando fuerit quærendum esset. Privernum alii, alii Coram, Antium quamplurimi Volscorum principem urbem fuisse prodiderunt. Testimonia quisque in rem suam, & ad sententiam confirmandam in medium adducit. Nos 1. Antio Volscæ gentis principatum cum Livio ceterisque antiquioribus historicis adjudicavimus. In ea itaque nunc quoque, ut par est, sententia manentes meritis tamen laudibus Velitras non fraudabimus, divitem eam urbem, nobilem, vetustissimisque temporibus potentem ac populosam fuisse asserendo. 2. Ceterum ab Oscis primum hæc Latii pars coli cœpta. Ab iisdem mutato aliquatenus vocabulo Volsci derivati, eam deinceps omnemque circa regionem tenuerunt. quorum, ut ea omnia, quæ vel a Pseudo-Beroso vel ab aliis supposititiis Scriptoribus fabulosa plane ac ficta commemorantur, omittam; illud tan-

1. Vulp. Vet. Lat. l. 4. de Antiat.

2. Teul. de Velit.

tantum eſt, quod hic memorem: ante Romam conditam Regem habuiſſe. Cujus rei teſtimonium eſt luculentum Metabus Rex, Volſcæ illius Camillæ pater, cujus bellicam virtutem laudat Virgilius: 3. qui tamen Priverni eam regnaſſe aperte nobis teſtatus eſt. Camilla vero ſine prole decedente, utpote quæ nulli umquam nupſerat (unde etiam Divus Hieronymus 4. ſummopere eam commendavit) Volſcæ urbes Reipublicæ unaquæque formam cepere: ita tamen ut uno fœdere ſemper ſingulæ totius gentis civitates conjunctæ eſſent. Velitris itaque per optimates Reſpublica adminiſtrari cœpta. Quod adminiſtrandæ Reipublicæ genus Ἀριστοκρατία ab Græcis appellatum eſt. Hujus apud Veliternos regiminis teſtis eſt Livius, & antiquus pariter lapis altero ab hinc ſæculo Velitris erutus cum inſcriptione: 5. S. P. Q. VELITERNUS. Brevi tamen hæc Reſpublica permanſit. Siquidem a Romanis quamquam difficulter atque per partes devicta, imperata facere coacta eſt. Antequam tamen victas daret manus, Romanos ingentibus prœliis laceſſere, & deinceps pro aris & focis fortiter cum ipſis dimicare ſæpius eſt auſa. Ac primo quidem, anno ab Urbe Condita vigeſimo octavo ſupra centeſimum, ſub Anco Martio Romanorum Rege 6. Veliternorum militum manus in agrum Romanum infeſto agmine populabunda vagari cœpit. Unde vehementer laceſſitus Rex Ancus, valido coacto exercitu, ad propulſandam injuriam, eamque peſtem avertendam egreſſus eſt: commiſſaque cum palantibus pugna ingentem ex iis prædam recepit; eoſdemque Velitras uſque recedere fortiter inſequendo coegit. Jamque ipſis Velitris obſidione cinctis, valloque ad annonam præpediendam circumducto, uni-

3. *Æneid. L.* 11.

4. *de Virginitate.*

5. *Ap. Aſcan. Land. in M. S.*

6. *Dionyſ. l.* 3. *Antiq. Rom.*

universo agro potitus est. Dum autem sese ad expugnandam urbem comparat; ecce tibi quidam ex Patribus ab Senatu Veliterno Legati ad Regem in castra venerunt, qui Veliternos injurias Romanis ab suis illatas compensaturos, ablatamque prædam restituturos nuntiarent. Pœnas quoque eos de prædonibus sumturos, dummodo Rex obsidionem solvere, belloque absistere vellet. Induciæ his statim ab Rege datæ. Mox restitutis invicem rebus, Regem inter & Veliternos pacis fœdus sancitum est. Anco autem Martio ex humanis exemto, Lucius Tarquinius 7. Priscus, qui eidem in Romanorum regno successerat, ictum fœdus servavit, Velitrisque Octaviam gentem, ex qua Augustus deinde ortus est, Romam advocavit, patriciisque familiis accensuit. Quod & Servius Tullius successor ipse quoque confirmavit. L. vero Tarquinio Superbo, qui ultimus Romanorum regnum obtinuit, Volscos ad fœdus secum renovandum adhortante, (quod cum Latinis antea, Turno Herdonio apud illos magni nominis atque auctoritatis viro per fraudem sublato, fecerat) e Volscis urbibus aliquæ quidem Regi se per nova fœdera conjunxerunt; Veliternis tamen fœderi quod cum Anco Martio sanciverant, stare satis visum est. Quod cum aliæ quoque Volscorum urbes renovare detrectassent, Superbum ad bellum 8. Volscis indicendum impulere. Idque bellum fuit, ex quo Tarquinius Suessam Pometiam Volscam urbem diripuit ac solo æquavit, deque ejus manubiis Capitolinum illud magnificentissimum templum Jovi dedicavit atque exornavit. Ceterum quid eo bello Veliterni egerint, vel cujus partes secuti fuerint, memoriæ proditum minime est. Pulso quidem ab Romanis Superbo, atque in amissum re-

7. Sueton. in Octav.

8. Dionys. l. 4.

regnum restitui conanti inter triginta Volscorum populos cum primis & Veliternos 9. adfuisse narrat Dionysius. Ex his omnibus quadraginta peditum millia, equites ter mille sub Tarquinio delecti castra in Romanos moverunt. Adeoque Romæ eo bello trepidatum est, ut Dictatorem supremæ incircumscriptæque potestatis magistratum creari placuerit. Aulus Postumius is fuit, qui Titum Æbutium magistrum equitum sibi adjunxit. Quamvis autem hic belli apparatus anno Urbis Conditæ ducentesimo supra quinquagesimum tertium instructus esset, pugna tamen in alterum annum dilata, nonnisi V. C. an. CCLV. commissa est, T. Æbutio & C. Veturio seu Vetusio Coss. Hi, cum hostilem exercitum adventare cognovissent, celerrime intempesta nocte motis castris, 10. magnis itineribus ad Regillum lacum, nunc *Sanctæ Praxedis*, Romam inter & Tusculanos ac Gabinos agros haud ita procul ab hoste constiterunt. Erant autem in Romanorum exercitu peditum viginti quatuor millia, equites mille. Commisso hic ingentibus animis utrimque proelio, utrimque diu acriter dimicatum, neutro vergente victoria. Donec Volscorum ducibus, ipsoque Tarquinio, qui cum Dictatore congressus fuerat, vulneratis; occisoque a Tito Erminio Volscorum ac Latinorum supremo duce Octavio Mamilio Tusculano, Romani victores fuerunt. Castrisque hostium potiti, ingentem, supra quam credi potest, eorum stragem ediderunt; dum solutis confusisque ordinibus quisque fuga sibi consulere frustra tentabant. Omnium ad eam diem commissarum ab Romanis cruentissima ea pugna fuit, ejusque adeo infausto exitu Tarquinio in regnum redeundi spes omnis sublata est. Quatuor post annos, App. Claud. & P. Servilio Coss. Romani in

9. *Idem l.* 5.

10. *Liv. Dec.* 1. *l.* 2.

Volſcorum agrum exercitum duxerunt; trecentiſque ab iis acceptis obſidibus, prœlio parcentes Romam redierunt. Volſci tamen injuriam ulturi Latinos ad arma contra Romanos capienda per Legatos ſollicitant. Quibus contra jus gentium eoſdem Legatos vinctos in Romanorum manus tradentibus, neque tamen ea nova injuria fracti, quamquam ingenti auxilio deſtituti, Volſci quieverunt. Sed cum Hernicis icto fœdere, contra Romanos exercitum ducunt. Male tamen tunc quoque illis res ceſſit. ſiquidem devicti, & amiſſis urbibus & agri parte ab Romanis multati ſunt. Inſequenti vero anno, qui fuit V. C. CCLX.
11. *Liv. Dec.* 1. *l.* 2. Aulo 11. Virginio & T. Veturio Coſs., bellum renovatum eſt; quod demum deducendæ Velitras Romanæ Coloniæ occaſio fuit. Belli cauſſa res ab Romanis Volſcæ genti ablatæ, quas illa confidenter repetebat. Dum autem apud Volſcos de aggrediendis Romanis conſulitur; Virginius Conſul prævertendum hoſtilem impetum ratus, duodecies mille peditum raptim coacto exercitu, nonnulliſque equitibus adjunctis, hoſtibus obviam proceſſit. Dumque eorum agrum fœde palabundus depopulatur, Volſcos ad arma propere capienda rei fœditate commotos veluti ex improviſo adegit. Prœlium ea ferme ratione, qua Livius narrat, commiſſum eſt, quod & ipſius celeberrimi Romanarum rerum principis hiſtorici verbis, eo quod condendæ, ut ajebam, apud Veliternos Coloniæ Romanis occaſionem dederit, placet legentibus
12. *Liv. Dec.* 1. *l.* 2. ob oculos ponere. *Medio*, itaque inquit, 12. *inter caſtra campo ante ſuum quiſque vallum infeſtis ſignis conſtitere. Multitudine aliquantum Volſci ſuperabant. Itaque effuſi & contemtim pugnam iniere. Conſul Romanus nec promovit aciem, nec clamorem reddi paſſus, defixis pilis ſtare*

ſuos

ſuos juſſit. Ubi ad manum veniſſet hoſtis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere. Volſci curſu & clamore feſſi cum ſe velut ſtupentibus metu intuliſſent Romanis; poſtquam impreſſionem ſenſere ex adverſo factam, & ante oculos micare gladios; haud ſecus quam ſi in inſidias incidiſſent, turbati vertunt terga; & ne ad fugam quidem ſatis virium fuit, quia curſu in prœlium ierant. Romani contra, quia principio pugnæ quieti ſteterant, vigentes corporibus facile adepti feſſos & caſtra impetu ceperunt, & caſtris exutum hoſtem Velitras perſecuti, uno agmine victores cum victis in urbem irrupere; pluſque ibi ſanguinis promiſcua omnium generum cæde, quam in ipſa dimicatione factum. Paucis data venia, qui inermes in deditionem venerunt. Et paullo infra: *Volſcis devictis Veliternus ager ademtus. Velitras Coloni ab Urbe miſſi, & Colonia deducta.* hactenus Livius. Eadem ferme habet Dionyſius, 13. qui Velitras ab Romanis captas Volſcorum urbem nobilem fuiſſe confirmat. Velitræ autem Romana Colonia fuerunt, non Latina, hoc eſt, jure Latinarum civitatum deducta. Unde ampliſſimis Romanarum Coloniarum 14. privilegiis urbs hæc ornata eſt; inductuſque in eam idem ferme Reipublicæ adminiſtrandæ mos, qui etiam Romæ habebatur. Romani vero Coloniam icciirco deduxere, ut propugnaculum Romæ ipſius foret. Ceterum V. C. anno CCLXII. T. Geganio & P. Minucio Coſs. 15. annonæ caritate acriter Romanos divexante, dum Volſci bellum famelicis aſtute inferre parant; fœda lues per Volſcorum ipſas urbes ſubito coorta, veluti Romanos ultura, acerbiſſime graſſari cœpit. Quo tam ingenti malo non modo quamplurimi conſumti, verum etiam omnes terrore fœdæ ſtragis exterriti arma vel inviti deponere coacti ſunt. Romanique Velitris Colonorum numerum auxere, Nor-

13. *Lib. ſexto Antiq. Rom.*

14. *Andreas Schot. S. J. in Itin. Ital.*

15. *Liv. Dec. 1. l. 2.*

Norbamque, ut arx in Pomptino esset, novam Coloniam deduxerunt. Colonorum vero Velitris numerus auctus, non tantum ad eam urbem majori præsidio muniendam, quantum ad suppetias ferendas civitati, quæ pæne in solitudinem a vi sævientis pestilentiæ redacta erat. Adeo enim, 16. Dionysio teste, grassata inter Volscos, Veliternos præcipue, est lues, ut neque apud Græcos, neque apud Barbaros fœdiorem ullam fuisse proditum sit. Quod vel ex hoc facile constat; quod Velitræ urbs antea frequentissima ac maxime populosa, adeo civibus, vi morbi absumtis plerisque, exhausta est, ut vix decima eorumdem pars a clade superstes fuerit. Quare his visum est e Republica futurum, si Legatos Romam mitterent, qui populi Romani patrocinium implorarent, seque suasque res in Romanorum fidem conceptis verbis iterum traderent, novosque Colonos in demortuorum locum mitti peterent, qui vacuam cultoribus maximam Veliterni agri partem excolerent. Missi itaque Romam Legati; quibus ab Romanis benigne exceptis, plebis pars aliqua ad augendam Coloniam est destinata. Siquidem Romani & injuriarum hostilium tunc temporis obliviscendum rati, & multitudine fame laborantem Romam levandam censentes, non minus Veliternis quam sibi novam eam Coloniam profuturam prudenter existimabant. Adde quod intestina per eos dies seditio coorta est, plebe adversus Patres maxime expostulante; quod eorum negligentia fames urbem premeret; non enim ab illis (quod tamen poterat) penuriæ venienti in tempore consultum esse. quas concitatæ plebis querelas novæ Coloniæ deductione, sin minus exstingui, certe minui admodum posse Patres credebant: præcipue cum audaciores nonnulli ex ple-

16. *L. 7. Antiq. Rom.*

be

be essent, qui patricios tamquam famis auctores, quasi per ipsos dedita opera ad affligendam divexandamque sibi contrariam plebem illa annonæ caritas esset inducta, non obscure culparent. Itaque ad deducendam Coloniam continuo Triumviri delecti. Placuit principio plebi consilium, libenterque nonnulli ad evitandam famem dedere nomina. Mox tamen, (ut instabile maxime est vulgus) attendentes eam urbem, ad quam novi Coloni mittebantur, a pestilentia fere totam absumtam fuisse, pigere eos cœpit, adeoque pauciores multo, quam quos Senatus destinaverat, in novos Colonos allecti sunt. Cum autem perpauci illi, qui jam nomina dederant, alias ex aliis moras ad discedendum necterent; Romæ iisdem remanere ab Senatu permissum; nec quisquam invitus ire compulsus est. Sancitum tamen ex Senatus Consulto, ut sorte ex universo numero civium, qui in Coloniam irent, eligerentur, gravissimisque propositis pœnis cautum est; ne quis, cui sorte obtigisset, in Coloniam transitum recusaret. Ita demum magna Romanorum civium pars Velitras in novam sive renovandam Coloniam missi. Acerbissimi vero morbi caussam frequentes adeo in Volscorum agris pugnas ac cædes fuisse crediderim. Siquidem corrupto, fœtore insepultorum cadaverum, cælo, lues omnium gravissima ingruere solet. Renovatum deinde a Volscis sæpius est bellum; sed quod ad Velitras pertinet, illud fuit, quod in Martii 17. Coriolani Romanorum exsulis ferme omnes Volscorum urbes, quæ antea Romanis parebant, potestatem redactæ, ipso Coriolano duce, omnium ad eam diem maximum in Romanos bellum renovarunt. Brevi tamen Coriolano per Veturiam matrem placato, & ab Antiatibus in

17. *Liv. Dionys. ubi sup & Plutarch. in Coriolano.*

in ſeditione ſublato, Actius Tullius ingentem Volſcorum vim adverſus Romanos eduxit, Urbis Conditæ anno ducenteſimo ſupra quintum & ſexageſimum. Huic ſeſe obviam propere factus Romanus Conſul cum potiori militiæ robore, ferox poſt certamen, victor evaſit. Pugnam in Antiatum rebus fuſe deſcripſimus, unde hic illam tantum innuiſſe ſufficiat. Dionyſio quidem Romanis fauſtiſſima hæc pugna memoratur. Livius tamen ex eadem contra Volſcos pugna Sicinium abſque ulla Reipublicæ gloria rediiſſe commemoravit. Certaminis locus, quo ipſe Actius Tullius inter Antiates atque adeo Volſcos omnes potentiſſimus fortiter pugnando cecidit, in agro Veliterno quidem fuit; quis autem ille fuerit, Scriptorum nullus deſignat. Hoc tantum conjectura aſſequi poſſumus, in ea parte Veliterni agri illum fuiſſe, quæ in occaſum vergit; ſiquidem ex ea parte Albanum verſus euntibus ii colles ac tumuli inæquales occurrunt, qui in narratione pugnæ videntur a Dionyſio commemorari. Et a Volſcis quidem ſæpe alias bellum renovatum. Quod mihi tamen omittere fas ſit; cum & nil peculiare in illis certaminibus de Veliternis prodatur; & ire per ſingula nimis longum, atque inutile omnino eſſet. Anno autem V. C. tre-
18. *Liv. Dec. 1. l. 4.* centeſimo quinquageſimo primo, cum inter 18. Ferentinum & Ecetram Romani contra Volſcos fortiter dimicaſſent, duos ante annos Tarracina, quæ olim Anxur dicebatur, urbe Volſcorum præcipua ſubacta, Artena, ipſa quoque Volſcorum urbe, potiti ſunt; cumque eam arcem ſolo æquare vi fruſtra tentaſſent, id tandem ſervi cujuſdam fraude & dolo malo effe-
19. *Diodor. Siculus.* cerunt. Quibus expletis, Colonos. 19. Velitras tertio miſerunt; territos ſcilicet ſociorum cladibus Veliter-

liternos victoribus manus dare, fortunæque ac tempori deservire novos accipiendo Colonos satius duxisse crediderim. Romanis deinceps Vejenti bello occupatis, Volsci motus quievere ad V. C. annum trecentesimum sexagesimum secundum. Quo, Lucio Lucretio Flacco & Servio Sulpitio Camerino Consulibus, 20. Veliterni, refectis viribus, animisque a pri- 20. Id. Auct.
stino terrore confirmatis, excusso Romanorum jugo in priorem sese libertatem revocaverant; cum decreta in illos continuo expeditio est. Belli tamen exitum Scriptorum nullus commemorat. Post direptam vero a Gallis Senonibus Urbem Volsci in Romanos 21. tam ingenti clade affectos impetum facere op- 21. Id. Auct.
portunum fore duxerunt. Quapropter V. C. anno CCCLXVII. adversus illos Furius Camillus Dictator creatus est, qui strenuis in alios Romani nominis hostes undique dimissis ducibus, Volscos quasi omnium ferocissimos sibi reservavit. Hi ad Lanuvium castra posuerant, fortique ex aridis densisque palis vallo munierant. At Camillus aptissimam eam igni materiam conspicatus, tædas undique ardentes in illam a suis congeri jussit. quibus cum ingens subito incendium concepisset; pæne ab sola flamma devicti Volsci terga dedere. Camillus, prædatus eorum agros, Sutrium exercitum reduxit. Huic bello & Veliternos adfuisse dubitare non sinit Eutropius, qui a Camillo Volscorum urbem devictam scripsit; cum tamen fœdus potius Romanos inter & Veliternos ab hujus belli exitu renovatum fuerit. Credibile est autem, Velitras in antiquum Romanæ Coloniæ ordinem a Dictatore denuo redactas fuisse. Jam vero V. C. anno supra septuagesimum primum trecentesimo, ingentem Volsci in Pomptino exercitum instruxerunt, quem ait

Livius, communi Scriptorum consensu Maximum appellatum: quamquam paullo ante ab Camillo victi fugatique fuissent. His sese Latini conjunxerant; quos e Circejensibus aliquot secuti, & Veliterni Coloni. Adversus tantum exercitum Aulus Cornelius Cossus per eos dies Dictator creatus expeditionem suscepit; commissoque prœlio, gloriosam ex hostibus victoriam reportavit. Cumque ex iis quamplurimos cepisset, captivorum non pauci ex Latinis, Hernicis, Circejensibus, Colonisque Veliternis, reperti sunt. Cum autem id ab his tentatum privato tantum consilio fuisset, Romam ab Latinis & Hernicis Coloniisque Circejensi & Veliterna venerunt Legati, qui Senatui sese purgarent; eos, qui inter captivos e suis reperti essent, nullo civitatum consilio vel auctoritate arma in Romanos sumsisse: immunes proinde reliquos cives a culpa, & antiquis cum populo Romano ictis fœderibus stetisse; nunc quoque in ejus amicitia perseveraturos. quod ut alacrius præstare possent; dederent sibi Romani, quos quisque e suis, captivos haberent; meritas de iis apud suas civitates pœnas sumturos; populoque Romano illatam injuriam ultro ipsos severissima castigatione ulturos. Amara tamen ab Romanis responsa retulere; multoque amarissima ii qui ex duabus Coloniis Circejensi & Veliterna Legati venerant. impios eos in patriam suam evertendam conspirasse; quæ enim præter Romam, unde in Colonias dimissi fuerant, illis patria erat? adversus illam arma sumsisse; gentem suam, cognatos, &, quod caput est, patrias aras, penates, deosque reliquos populi Romani custodes funditus evertere voluisse. illis proinde non solum captivos minime reddendos, verum Legatis quoque, ut extemplo Roma disce-

discederent, seseque e conspectu Senatus tollerent, imperandum; nec enim jure gentium eos fore satis protectos. Siquidem id exteris populis, non tamen proditoribus civibus adjumento futurum. 22. Ita ignominiose expulsi Legati in patriam revertuntur; duobusque annis in apparatum novi belli vix bene traductis, rursus contra Romanos arma capiunt. Volscisque reliquis, universisque Latinis ac Lanuvinis nominatim, qui antea semper in fide populi Romani permanserant, sibi adjunctis, Veliterni & Circejenses ignominiam deleturi infesto agmine in agrum Romanum processere. Romæ id ex nimia Senatus in Veliternos Colonos indulgentia originem ducere videbatur; eo quod continuo in illos, ut par erat, Patres non animadvertissent. Dum tamen delectus haberi cœpit, fœda ex improviso Romæ coorta lues, quominus eo anno hostibus obviam iretur, impedimento fuit. 23. Dilata vero in alterum annum expeditio inducias Colonis opportunas præbuerat Romam mittendi Legatos, qui ab Senatu præteritorum veniam peterent, novisque pactionibus fœdus renovarent: quod utique præstitissent, si publicum omnium periculum cum privato, ut fere fit, conjunctum minime fuisset. Siquidem defectionis auctores caventes sibi ne uni ipsorum culpæ omnium defectio verteretur, ipsique tamquam devota victima soli Romanis traderentur, a consiliis & conditionibus pacis Colonias absterruerunt. Neque vero legationem suorum disturbare illis satis fuit; verum etiam plebem Coloniarum, ut Romanum agrum palantes depopularentur, concitaverunt. Quæ hostilitas pacis spem omnem funditus evertit. Insequenti anno, qui fuit V. C. trecentesimus septuagesimus quartus, Spurius

22. Liv. Dec. 1. l. 6.

23. Liv. Dec. 1. l. 6.

& Lucius Papirii Tribuni militum auctoritate consulari creati exercitum in Veliternos duxerunt, relictis Romæ ad Urbis custodiam reliquis in Tribunatu Collegis quatuor, qui etiam ne quid Respublica ab Etruscis novarum rerum cupidis caperet detrimenti, observarent. Prope Velitras adversus Prænestinos, qui anno superiore ab Romanis defecerant & nunc Veliternis Colonis auxilio venerant, feliciter decertatum est. Propinqua autem urbs Veliternis maturioris fugæ occasio fuit. Itaque præcipiti in eam fuga sese portis ac mœnibus protexerunt. Nec Romanis visum urbem obsidione cingere, cum id eventus admodum dubii ab omnibus existimaretur; neque eam Coloniam funditus evertere, futurum e Republica ducerent. Missis itaque Romam victoriæ nuntiis, acrius adversus Prænestinos auxiliares, quam adversus Veliternos Colonos ab iis in Senatu expostulatum est. Quapropter ex Senatus consulto bellum Prænestinis decretum; qui tamen Volscis adjuncti Satricum proximo anno Romanorum Coloniam, civibus nequicquam fortiter defendentibus, expugnarunt. 24. Duobus exinde elapsis annis tanto impetu Prænestini adversus Romanos arma ceperunt, ut ad ipsas Urbis portas infestis signis excurrerent. Ex quo Romæ adeo trepidatum est, ut Dictatorem tamquam in angustissimis rebus, creari placuerit. Is fuit T. Quinctius Cincinnatus, qui valide hostes ad ipsum usque Præneste recedere compulit; inde octo eorum agri castella expugnavit; ac demum in Veliternos movens, Velitras quoque ipsas recepit. Et Velitris quidem annis octo a bellis cessatum est. Anno autem V. C. supra octogesimum quartum trecentesimo, Romanis civium intestinis discordiis occupatis atque distractis, diffidente acerrime a Patribus plebe, cum nullus iccirco per eos dies

24. *Liv. Dec. 1. l. 6.*

dies neque exercitus ſub armis neque delectus haberetur; Veliterni opportunum tempus rati, nactique occaſionem veteres injurias novo bello ulciſcendi, arma ceperunt. quibus, poſtquam crebris excurſionibus Romanum agrum infeſtaſſent, Tuſculum exinde Romanis amicam fœderatamque civitatem obſidione cinxerunt. Quod, ut Romæ per Tuſculanorum Legatos auxilia petentes nuntiatum eſt; tantus non modo Patres, verum plebem ipſam pudor ignaviæ inceſſit, ut creatis per Interregem novis Tribunis militum delectus ſtatim haberi cœperit. 25. Quamquam plebes non adeo in delectu habendo, ſicuti paullo ante in comitiis fuerat, Tribunis audiens & præſto eſſet. Inſtructus tamen, licet ægre, eductuſque eſt exercitus; Tuſculaniſque ſubventum: Veliternuſque hoſtis non modo Tuſculo expulſus, verum etiam intra propria mœnia ſeſe recipere coactus; quæ Romani multo acrius, quam ii antea Tuſculum obſedere. Valide tamen Veliternis reſiſtentibus, Tribuni, re infecta, Romam redire coacti ſunt, magiſtratus expleto tempore; cum interea exercitus ab obſidione minime ceſſaret. Novi quoque Tribuni militum nihilo plus ſuperioribus profecerunt. Quod Veliternorum virtutem Velitrarumque urbis fortitudinem ac præſidia validiſſima ſatis oſtendit. Siquidem Romanis per ea tempora tot victoriarum gloria claris, vicinorumque populorum auxiliis pollentibus, univerſorumque civium ſuorum robore Velitras tanto tempore prementibus, hæ validiſſime reſtiterunt. Quod autem in exercitu ingens omnino multitudo eſſet, vel ex eo conſtat; quod comitia Romæ uſque ad reditum exercitus ex Veliternis dilata ſint; eo quod ex plebe plerique in ea obſidione occuparentur. Annum tamen totum antequam inde redu-

25. *Liv. Dec.* 1. *l.* 6.

reducerentur, consumserunt. Reducta autem post hæc exercitus parte, non tamen ab Romanis omissa obsidio; verum in quartum usque annum, qui fuit V. C. CCCLXXXVIII. producta. Quamquam illius exitum Scriptorum nullus commemoret: expugnata ne tandem urbs fuerit, an soluta obsidio. Solutam tamen vel ipsum historicorum silentium facile persuadet. Si enim urbem tandem Romani cepissent, id ab auctoribus Romanorum res gestas singillatim enumerantibus minime prætermissum fuisset. Et hæc quidem ea ætate Veliternorum bellica virtus fuit. 26. Ceterum eodem anno M. Furius Camillus adversus Gallos quintum Dictator creatus, Velitras, quæ quatuor ipsos annos validissimis exercitibus restiterant, sine vi nulloque commisso prœlio cepit. Scilicet Veliternos non modo tam longa obsidione fessos, verum ipsa quoque obsidionis solutione securos nimium & oscitantes, ex improviso facile occupavit. præclaro ducibus populisque documento, nihil tam civitatibus perniciosum atque exitiale, quam otium nimiamque securitatem in rebus prosperis semper exstitisse. Hæc novissima rerum gestarum Furii Camilli fuit, ceterisque totius anteactæ vitæ præclarissimis colophonem imposuit. Siquidem duobus annis post, in extrema senectute decessit. Memorant, Velitrarum portam quam nunc quoque cives *Porta Fura* dictitant, ab hoc Furio Camillo *Furiam* appellatam; eo quod per illam ipse victor intraverit. Novennii postea quies Velitris subsecuta est. 27. Anno autem V. C. CCCXCVII. cæsis fugatisque Romanis ab Tarquiniensibus Etruriæ populis, Veliterni cum Privernatibus Romanum agrum audacter utpote in afflictis hostium rebus depopulati sunt; ultro permittentibus Romanis, cum ad retunden-

26. Plutarch. in Camillo.

27. Liv. Dec. 1. l. 7.

dendos propulſandoſque illorum impetus fractis tunc temporis accepta clade viribus impares eſſent. Diu exinde ab armis ceſſatum, 28. nec poſtea V. C. anno CCCCXV. Latinorum Prætoribus Volſcos adverſus Romanos ſollicitantibus, cum Signinis Veliterni acquievere; ſed a belli conſiliis omnino abhorruerunt. 29. Inſequenti tamen anno T. Æmilio Mamertino & Q. Pub. Philone Coſſ. Pedani, ipſi quoque Veteris Latii populi, ab Romanis laceſſiti Veliternorum una cum aliis vicinis populis auxilia implorantes eos in nova bella traxerunt. Itaque Prænestinis ac Tiburtinis adjuncti valide Pedanos ſocios Veliterni defendebant. Quos contra Æmilius Conſul cum proceſſiſſet, reique aliquid proſpere geſſiſſet; ex improviſo caſtris relictis Romam rediit ut triumphum ſibi, quamquam nondum parta victoria, decerni ab Senatu peteret, Collegam cui eum honorem parari metuebat prævertere cupiens. Negatum tamen eſt a Senatu, niſi expugnato Pedo cuiquam triumphi honorem decerni poſſe. Quo reſponſo irritatus Æmilius, omiſſa Pedi obſidione, Romæ ad plebem adverſus Patres ſeditionibus concitandam remanſit. Senatus vero, cui Pedi expugnatio magnopere cordi erat, Conſulibus anno inſequenti creatis L. Furio Camillo & C. Mœnio eam provinciam perſequendam conficiendamque decrevit. Qui dum ſeſe operi comparant, Tiburtini quidem ac Prænestini, quorum ager Pedo proximus erat, in Pedanorum auxilium ſtatim adfuerunt; Veliterni vero una cum Aricinis & Lavinienſibus, dum tardius aliquanto ſeſe Pedanis ſociis conjungunt, in itinere ad Aſturam fluvium in agro Antiati cæduntur, atque fugantur ab Conſule Mœnio iis obviam facto. Atque haud ita multo poſt alter

28. Liv. Dec. 1. l. 8.

29. Id. ibid.

ter Conſul Camillus inſigni parta victoria Pedo potitur. 30. Re autem tam proſpere geſta, ſecunda fortuna in tempore utendum rati Conſules, ad ſingula Latinorum oppida expugnanda, Romanæque Reipublicæ ſubjicienda animum adjecere. Univerſum itaque Latium per illos ſubjugatum; urbibus partim vi expugnatis, partim a civibus ſibi deditis, ut in fide populi Romani eſſent. Itaque ob eorum tam præclara merita Romæ triumphatum eſt ab Conſulibus; iiſdemque, quod rariſſimum ea ætate ac pæne ſingulare fuit, in foro Romano ære publico equeſtres ſtatuæ decretæ erectæque ſunt. Hic enim vero Veliternis res peſſime ceſſit. Siquidem Romanis in ſingulos Latii populos, qui ſæpe defecerant, acriter animadvertentibus, variaque ſupplicia, prout major minorve culpa ſingulorum eſſet, decernentibus; Veliterni omnium ſeveriſſime ab iis multati ſunt. Igitur 31. adverſus Veliternos antiquos Romanos cives quod toties defeciſſent graviter ſævitum eſt. Velitrarum namque mœnia Senatus conſulto ſolo æquata, & Veliternorum Senatus Romam inde translatus: imperatumque Senatoribus Tranſtiberina regione habitare; cautumque ne quis Senatorum Tiberim, ullo umquam tempore tranſieret; qui ſecus feciſſet mille pondo multaretur. neque vinctum, ſi cis Tiberim deprehenſus fuiſſet, ſolvere illum aut liberare quis poſſet, niſi prius auri ſummam, qua multatus erat, ſolviſſet. Prædia Senatorum in agro Veliterno novis Colonis eodem miſſis diſtributa ſunt. Ita Velitris populi frequentia ac celebritas per novos Colonos reſtituta. Non vereor quin hæc legentibus crudeliter nimis in Veliternos ab Romanis ſævitum videatur. Verum ſi memoria repetent ea quæ hucuſque recenſui-

30. Liv. Dec. 1. l. 8.

31. Liv. Dec. 1. l. 8.

censuimus, a Veliternis adversus Romanos toties renovata bella; erit, quod & Veliternorum quidem ingentes animos jugique impatientia colla miretur, & Romanorum prudens consilium, quamvis acre, maxime tamen necessarium in hostibus enervandis suspiciat. Atque hæc quidem finis bellorum fuit, quibus Veliterni per tria ferme sæcula Romanos vexarunt, impedieruntque, quominus imperium & arma extra Italiam longius proferrent; cum sibi domi, ita dixerim, propter Veliternos tam propinquos, totiesque rebelles & infestos, semper cavendum esset. Hoc demum timore liberata Romana Respublica longe lateque flammæ instar arentes stipulas effuse incendentis totum pæne terrarum orbem brevi corripuit. Viguit tamen diu Romæ Veliternorum Senatorum memoria. Siquidem inter septem illas Populi Romani Curias, quæ ab oppidis unde antiquitus cives Romam venerant, nomen habebant, fuit etiam Curia Velita, ab urbe Veliterna sic appellata. quod Veliternorum maximum fuit ornamentum, ut nempe & principis gentium populi pars essent; & in media ipsa Urbe Roma secretum ac peculiarem sibi locum haberent, quo convenirent, quique de sua urbe *Curia Velita* diceretur. Porro Coloniæ Veliternæ jura a Claudio Cæsare immutata fuisse nonnihil, narrat Frontinus. ait enim: *Velitræ oppidum Lege Sempronia fuerat deductum. Postea Claudius Cæsar agrum ejus limitibus Augustæis censitum militibus assignavit*. Itaque Colonia Veliterna deducta primo fuerat Lege Sempronia. Legem enim, quam tulerat C. Licinius Stolo Tribunus pl. An. V. C. CCCLXXVII. Nequis plus quingenta jugera agri, centum pecoris majoris capita, quingenta minoris possideret; cujus Livius & Varro meminerunt,

jam vulgo neglectam de novo tulit Ti. Sempronius Gracchus Trib. pleb., P. Scævola L. Pisone Coss. A.V. C. IↃCXX., quæ *Sempronia* deinceps dicta est. Ea cautum fuit, ne quis de publico agro plus quingenta jugera possideret; deinde ut dimidium filiis attribueretur. quod reliquum esset, id pauperibus, qui nihil haberent, divideretur. Quod si quis agrum latius patefaceret; at Triumviri quotannis ad id creati judicarent qua publicus ager qua privatus esset. Colonia igitur Veliterna hac lege primum deducta fuerat. At Claudius Imperator ejus agrum quem Augustus certis limitibus censeri jusserat, militibus veteranis in laborum præmium assignavit. Ceterum, de Veliternorum bellis hactenus. Nunc quanta & virtute & fide Veliterni Romanos bello juverint, paucis exsequar.

C A P U T III.

Veliternorum in Romanis bello juvandis virtus.


OSTQUAM accisis adeo viribus atque opibus, ut hactenus exposui, Veliterni Romanorum imperata facere perpetuo coacti sunt; tempori atque fortunæ serviendum rati, bellicam virtutem, quam contra illos tribus ferme sæculis adhibuerant, illis deinceps juvandis perpetuo exercuerunt. Quamquam autem veteribus historicis non admodum curæ fuerit ea exinde recensere quæ pro Romanis Veliterni gesserint; quod ad Romanorum gloriam, cui unice studebant, minimum pertinere arbitrabantur: nos tamen quæcumque diligentissime perscrutantibus bellicæ Veliternorum virtutis vestigia in antiquis Scripțori-

ptoribus occurrunt, in medium afferemus. Et primo quidem credibile eſt, Romanos paullatim ſuæ potentiæ confiſos neque ab afflictis Veliternorum rebus quidquam jam ſibi metuentes, Senatus conſulti ſeveritatem mitigaſſe, quo cautum fuerat, ne quis Veliternorum Senatorum, quos Romæ Tranſtiberina regione relegatos habitare ſancte præceperant, vel ipſum Tiberim tranſiret; ac permiſiſſe demum ut in antiquas ſedes ac patriam redirent. Certe Velitris etiam poſt ea tempora viguit Patricius Ordo; quod vel ex ſola. 1. Octavia gente liquido apparet. Mitigatis itaque etiam Veliternorum animis, non modo ab armis contra Romanos perpetuo ceſſatum; verum etiam contra Romanorum hoſtes ſæpius itum eſt. 2. Bello quidem quod adverſus Pyrrhum Epirotarum regem Romani geſſere, Velitræ finis terminuſque Pyrrhi victoriarum ac prope dixerim propugnaculum Romanæ urbis fuere. Siquidem cum ſuperatis primo proelio Romanis victor Pyrrhus univerſam Campaniam, Lirim atque Fregellas foede depopulatus eſſet, cumque ex Præneſtina arce pæne victam Urbem proſpexiſſet, uſque ad vigeſimum ab Urbe lapidem victore exercitu ducto, in agro ſcilicet Veliterno Romanæ urbis trepidantis oculos pulvere ac fumo complevit. Brevi tamen Curtii & Fabricii Romanorum ducum virtute duplici proelio victus ſeſe nec inglorius omnino nec omnino glorioſus in Græciam ſuam recepit. Veliternorum tunc virtus atque in Romanos fides minime deſiderata. Non enim victoris regis furentiſque exercitus validiſſimi impetus, eos ab amicitia Romanorum avellere potuerunt. Bello autem Punico ſecundo Veliterni una cum reliquis Latii populis Romanos adverſus Hannibalem adjuverunt. Certe Silius

1. *Sueton. in Octav.*

2. *Florus l. 1. c. 18.*

D 2 lius

lius Italicus Brutium quemdam Volſcum militem, qui celeberrima atque funeſtiſſima Romanis contra Hannibalem, apud Traſimenum lacum pugna fortiter dimicaverat, ſummopere commendat, quod longiſſimam ætatem ſub Romanis ſtipendia feciſſet. ait enim:

3. Sil. Ital. l. 6.

3. *nec e Volſca quiſquam vir gente redemit Plus ævi.*

Inſequenti vero anno, qui fuit Urbis Conditæ ſupra trigeſimum quartum quingenteſimus, cum maximus e tota Italia inſuliſque adjacentibus delectus ab Romanis ad validiſſimum adverſus Hannibalem victoriis exſultantem furentemque comparandum exercitum haberetur; adfuit etiam fortiſſima Veliternorum manus, Scævolæ inclyti bello ducis e Volſca gente ſigna ſecuta. En Silii teſtimonium:

4. Sil. Ital. l. 8. v. 378.

4. *At quos ipſius menſis ſepoſta Lyæi*
Setia & incelebri miſerunt valle Velitræ,
Quos Cora, quos ſpumans inimico Signia muſto,
Et quos peſtifera Pomptini uligine campi,
Qua Saturæ nebuloſa palus reſtagnat, & atro
Liventes cœno per ſqualida turbidus arva
Cogit aquas Ufens, atque inficit æquora limo,
Ducit avis pollens nec dextra indignus avorum
Scævola, cui diræ cælatur laudis honora
Effigie clypeus.

Quo in loco, quamvis propero, immorari tantiſper atque ſubſiſtere me veritatis, qui primus hiſtorico eſſe debet, amor coegit. Itaque nuperrimus auctor, doctus ille quidem ceteroquin & eruditus, qui Veliternorum res, ſacras præcipue, vernaculo Italorum ſermone deſcripſit, in allato Silii verſu, *& incelebri miſerunt valle Velitræ*, legendum contendit non, *incelebri*, quod eſt, *minime celebri*, ſed ſeparatim, quaſi duæ voces ſint *in celebri*: hoc eſt *in valle celebri*.

Suc-

Succenſet etiam Petro Marſo, qui Silio Italico notas adjecit, in iiſque explicavit, quare Silius vallem Velitris vicinam *incelebrem* dixerit. Demum ut ſententiæ ſuæ, quam in patriæ gloriam ipſe mordicus tenet, fidem aſtruat, ait in Silii exemplaribus omnibus paullo accuratioribus, has voces ſeparatas legi ſic: *in celebri*; negatque a Silio Veliternam vallem jure *incelebrem* vocari potuiſſe, cum Velitræ urbs celeberrima ſemper fuerint: ætate præcipue belli Punici ſecundi, quam Silius his verſibus commemorat, adeo floruiſſe ut ingentem civium manum Romanis auxilio ſub duce Scævola, (quem, utpote Volſcum, recens hic auctor continuo patriæ ſuæ adjudicat & Veliternum facit) mittere potuerit. At pace dixerim Scriptoris hujus; in eo carmine, legendum, *incelebri*, hoc eſt, *minime celebri*, omnino eſt. Ordo enim ac ſenſus orationis ita legi jubet ac cogit; qui talis eſt: *Velitræ miſerunt valle incelebri Romanis auxilio milites*. Ita ut, ſi ulla eſſet addenda præpoſitio non *in*, ſed *a* potius, vel *ab*, *ex*, aut *de* adjungenda foret: non enim recte dixerit latinus auctor, *in loco aliquo mittere*, ſi terminum a quo aliquid mittatur, velit exprimere. Bene autem ſexto caſu nulla addita præpoſitione terminum unde aliquid mittatur, idem efferre poterit. Unde rectiſſime Silius, *Velitræ miſerunt valle incelebri*, dixit. Puderet ad grammaticos provocaſſe, niſi & hoc veritatis amor laudabile omnino atque honeſtum faceret. Ceterum ſi quis opponat, quod ſenſus carminis ſit iſte, nempe, *Velitræ, quæ ſunt in valle celebri, miſerunt*: obſcure nimis ac trunce Silium locutum diceret, cum nil ita interpretari verſum nos cogat; atque multo magis latina lectio tum obvia ſit, tum communis. Communem autem lectio-

ctionem esse, quæ dicit *incelebri*, uno verbo, nempe *non celebri*, *minime celebri*, omnia ferme exemplaria testantur. Certe investiganti mihi diligentissime nullum occurrit exemplar in quo disjuncta legatur vox illa *incelebri*, & tamen labori quærendi adeo non peperci ut copiosiores Bibliothecas excusserim, inque illis selectissimas & accuratissimas Silii editiones, scilicet Parisinam anni 1618. cum commentariis Claudii Dausquei; Parisinam alteram anni 1531. apud Simonem Colinæum; Lugdunensem anni 1616.; Aureliæ Allobrogum anni 1611., Amsterodamensem 1631., & alteram ibidem anno 1628. Quibus adde Calepini Lexicon nuper editum cura Jacobi Facciolati viri eruditissimi. Siquidem hoc, *incelebri* legendum omnino esse satis ostendit, cum ad vocabulum *incelebris* pro exemplo apponat carmen Silii, de quo nunc agimus, sibique constans idem iterum adducat ad vocabulum *Velitræ*. Ceterum Silius Veliternam vallem *incelebrem* ideo appellavit, quod per ea tempora ab cultoribus non admodum celebraretur. Locus enim celebris apud Latinos, si vocabuli vim inspicias, ille erat, qui incolarum multitudine celebrabatur, hoc est, frequentabatur; unde idem erat *celebris* ac *frequens*. Quamquam translate *celebris* pro insigni ac famoso usurparetur, eo quod loca incolarum multitudine copiosa facile aliis quoque titulis insignia & clara evaderent. Ne igitur recens auctor, cujus sententiæ nunc amore veritatis adversamur, ignominiæ notam patriæ suæ ab Silio inustam arbitretur, eo quod *incelebri valle* eam sitam dixerit: nil enim aliud poeta significavit, quam incolarum in ea valle inopiam & infrequentiam, quæ certe ex Pomptinis paludibus haud ita procul stantibus, aerisque corruptelam

lam ad eam usque vallem extendentibus accidisse facile quivis sibi persuaserit; quod Silius ipse innuit eo versu:

Et quos pestifera Pomptini uligine campi,

quem tamen, eo quod sibi sententiæque suæ de vallis celebritate adversari optime cognovit auctor, de quo nunc loquimur, vel callide, vel certe negligenter omisit. Præsertim cum in superioribus monumentis, quæ hactenus descripsimus, Veliternorum urbem & agrum fœda olim lue ex corrupto aere adeo devastata meminerit, ut ferme penitus ab incolis destituerentur, & Romana plebes eo in Coloniam mitti ob corruptum aerem vehementer detrectaret. Sed de his hactenus. Constanter itaque Veliterni in Romanorum fide manserunt. Anno autem V. C. quingentesimo trigesimo nono Cn. Fulvio Centumalo & P. Sulpicio Galba Coss. cum Hannibal victoria exsultans Campaniam ferme universam ac Latium palabundo exercitu depopularetur, a Veliternis tamen legitur abstinuisse, perinde ac si Veliternorum singulari virtuti parcendum existimaret. Non enim ideo Veliternis Hannibalem pepercisse suspicari quis possit, quod ad suas eos partes traxisset; nam contra Hannibalem Veliternos pugnavisse præter allatum Silii testimonium ex altero ejusdem poetæ versu confirmari potest; in quo ad Capuam Veliternum quemdam a Caleno duce occisum commemorat, sic: 5. 5. *Sil. Ital. Punic. l.* 13. *v.* 229.

Jamque Veliternum media transegerat alvo,
Jam solitum æquali ludo committere equestres
Scipiadæ pugnas.

Quamquam enim Silius hoc loco non Veliternum aliquem civem significare voluit, verum insignem aliquem virum cui Veliterno nomen erat, id tamen

men non officit, quominus Veliternos hac pugna pro Romanis decertasse ex hoc loco eruamus. Siquidem Veliternum hunc nomine, patria quoque Veliternum fuisse verisimile admodum est ob inolitum veteribus morem, qui nunc quoque sæpius usurpatur, de suæ vel majorum patriæ nomine, aliquem, insignem præsertim, appellandi tamquam proprio nomine. Licet autem poeta Veliternum hunc ab Caleno occisum narret, non inglorium tamen illum omnino dimittit; nam præterquam quod fortiter decertantem eum occubuisse describit; pro elogio etiam illum equestri umbratili pugna sæpius cum Scipione congredi solitum addit. quod certe maxime gloriosum est. Ceterum & aliis bellis Veliternos Romanis in amplificando imperio auxiliatos fuisse nullus dubito. Certe Romanæ militiæ robur non tantum ex ipsa Urbe Roma agroque circa eam constabat; verum ex proximis præcipue populis, e Sabinis scilicet, Latinis, Campanis, aliisque e vicinis provinciis allectis militibus. Cujus rei testimonia passim apud Livium aliosque Romanarum rerum Scriptores exstant: placetque idem ex elegantissimis aliquot Horatii locis confirmare. De Sabinis quidem militibus strenuis illis ac maxime militiæ aptis ex educatione victuque duro veterum illorum Spartanorum instar, sic Horatius ævi
6. od. 6. l. 3. sui molles nimium mores insectatus: 6.

Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico,
Pyrrhumque & ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles Sabellis docta ligonibus
Versare glebas & severæ

Ma-

Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes, Sol ubi montium
Mutaret umbras, & juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

De aliis vero Ode 5. libri tertii:

-- -- -- miles ne Crassi - - -
Sub rege Medo Marsus & Appulus.

Et Ode 1. l. 2. *quod mare Dauniæ*
Non decoloravere cædes?

nempe cædes ex militibus Dauniis factæ ab hostibus Romanorum. Daunia autem est Appuliæ pars, quam nunc *Puglia piana* dicunt. Est enim & altera pars quæ antiquis *Appulia Peucetia*, nobis nunc *Puglia petrosa*, sive *Terra di Bari* appellatur. De Latinis vero, quos inter & Veliterni, sic: 7. *Latium ferox.* & 7. *Od.* 35. *l.* 1.


8. *Quis non Latino sanguine pinguior* 8. *Od.* 1. *l.* 2.
Campus sepulcris impia prœlia
Testatur?

& alibi: 9. *Parum ne campis atque Neptuno super* 9. *Epod. Od.* 7.
Fusum est Latini sanguinis?

Itaque prudentem omnino conjecturam sequimur, dum Veliternos Latii tam fortes ac feroces præcipuosque populos bellisque tot jam sæculis assuetos semper affuisse Romanis in omnibus expeditionibus autumamus; quamquam Romanum nomen Oceanus veluti immensus, populorum, qui tamquam regia flumina aquarum illi tributum ferrent, vel ipsa nomina absorbuerit. Igitur cum nullam veteres Scriptores de iis peculiarem mentionem fecerint, ad alia Veliternorum recensenda monumenta ex hinc narratio nostra procedet.

CAPUT IV.

De Veliternorum Templis ac Prodigiis.



RBIS cujuslibet amplitudinem nihil ferme est quod magis ostendat, quam ingentia magnificentissime exstructa de publico ædificia. Quorum præcipuum locum apud omnes nationes barbaras quoque & incultissimas templa, in quibus gens unaquæque deos suos coleret, tenuerunt. Recensitis itaque iis omnibus rebus gestis, quas foris Veliterni strenue patrarunt, ad ea quæ domi ad urbis suæ amplitudinem & ornamentum constituerunt, commemoranda progredimur. Eadem autem illis, quæ reliquis per Latium populis templa fuerunt, iisdemque numinibus aræ constitutæ: Marti cum primis. siquidem Mars Latio venerandus erat; Volscisque præcipue, quibus bello tam vivida virtus, ut trecentos ipsos annos & eo amplius Romanis negotium facessere perpetuo bello ausi fuerint: 1.

1. Ovid. Fast. lib. 3. v. 85.

Mars Latio venerandus erat, quia præsidet armis.
Arma feræ genti remque decusque dabant.


Itaque Velitris templum Martis fuit, in quo ara illa ostendebatur, de qua Suetonius hæc habet: 2. *Gentem Octaviam Velitris præcipuam olim fuisse multa declarant. Nam & vicus celeberrima parte oppidi jampridem Octavius vocabatur, & ostendebatur ara Octavio consecrata. qui bello dux finitimo cum forte Marti rem divinam faceret, nuntiata repente hostis incursione, semicruda exta rapta foco prosecuit: atque ita prœlium ingressus victor rediit. Decretum etiam publicum exstabat, quo cavebatur ut in posterum*

2. Suet. in Octav. init.

sterum

ſterum quoque ſimili modo exta Marti redderentur, reliquiæque ad Octavios referrentur. Unde Veliternos celeberrima parte oppidi Marti tamquam inter præcipuos patronos primo templum antiquiſſimis temporibus conſtituiſſe conficitur. Siquidem ex allato Tranquilli teſtimonio conſtat, ibidem aram Octavio conſecratam fuiſſe ubi ille Marti rem divinam fecerat, neque Octavium alibi Marti rem divinam feciſſe præterquam in templo Marti dicato dubitandum eſt. Adducit autem Suetonius tamquam prodigium, quod Octavius in ſacrificio Martis exta ſemicruda ſuper foculum reliquiſſet ad improviſum adverſus finitimos bellum extemplo accitus; quodque veluti Martis auxilio proſpere pugnando, victoriam ex hoſte retuliſſet. & exinde quaſi ſemicruda illa exta numini placuiſſent; idque relata ab Octavio victoria ſignificaſſet, perpetuo ab Veliternis eo pacto ſacrificium Marti fieri conſueſſe. Quod, ut aliquid breviſſime de hujuſmodi veterum profanorum prodigiis ediſſeram, poſtulare videtur. Id itaque de narrationibus ejuſmodi in univerſum pro certo habendum; eas fabuloſi ſemper aliquid admixtum habere. id nempe quod de ſua, vel vulgi opinione illis addere ſolent hiſtorici ſimulacrorum falſorumque deorum cultores. Quicumque enim Unum Unicum Deum Optimum Maximum, cui hujuſce rerum Univerſitatis ab ipſo conditæ regimen ac cura ſemper fuerit, atque futura ſit ſancte profitetur & credit, is profecto exta ſemicruda ſuper foculum Marti, malo ſcilicet, ad ſummum, Genio, ſi non lapidi, vanoque nomini, oblata, nihil ad victoriam ex hoſte referendam Octavio conferre potuiſſe ſatis novit. Prodigia igitur, quæ paſſim apud veteres profanos hiſtoricos ad deorum cultores juvan-


vandos ab diis ipsis patrata leguntur, ea vel meræ a malis Geniis oculorum præstigiæ fuerunt; vel naturæ vires, occultas tamen hominibusque ignotas, minime excesserunt. Prodigia enim quæ vere universæ naturæ vires ac leges, quibus principio rerum omnium Conditor Deus Optimus Maximus ordinem constituit, excedunt, ea quasi sigillum quoddam veritatis veræque Religionis Deus idem semper adhibuit; nec umquam vanæ ulli superstitioni vel augendæ vel confirmandæ vel asserendæ, ne semel quidem, sigillum hoc commodavit. Si enim inter homines quoque probrosum maxime duceremus, quod civitatis alicujus princeps regnive dominus falsum aliquod edictum decretumve ab se minime editum sigillo tamen suo vel obsignaret ipse vel certe sciens ac prudens ab scriba librariove obsignari pateretur; quanto id magis Deum Optimum Maximum dedecere, neque in illum cadere umquam posse dicendum erit? Adde, quod quamplurima ex prodigiis quæ veteres deorum superstitioni dediti narrant, vere naturæ vires minime excedebant. Hujusmodi sunt fulmina quæ ædificii ac præsertim templi partem aliquam ferirent; monstrosum aliquod animal natum ex improviso; marmorea æreave signa sudasse, Austro flante scilicet: ceteraque hoc genus, quæ passim apud Scriptores antiquos ac præcipue Livium occurrunt. Christi nempe sola atque unica Religio est, quæ ad sese disseminandam, irrigandam, fovendam, confirmandam, dilatandam, atque asserendam, innumera, assidua perque omnes hucusque ab sui institutione ætates continuata prodigia, vere prodigia atque miracula universæ naturæ vires omnes longissime excedentia, rebusque ipsis conditis in infinitum altiora,
tam-



Cauerna, quae e ruderibus uetustissimi Templi Martis superesse creditur, Velitrisque ad Aedem Sancti Clementis, ubi olim Martis templum extitisse tradunt, in hanc usque diem uisitur.

Sintes Sculp.

Tab. II.



Marmoreae Columnae, quae ex ruinis Veliterni Martis Templi ad Hortos Ginettorum translatae Velitris hodie uisuntur.

tamquam Dei loquentis ſingulare & evidentiſſimum teſtimonium ſemper habuit, ſupremamque in Mundi diem ſemper deinceps eſt habitura. Aliiſque ſectis omnibus id maxime convenit quod Divinus Vates pronuntiavit: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.*

Ceterum Velitris Martis templum fuiſſe eo loco quem nunc *Matano* cives appellant, 3. Teulus prodidit, quaſi *Martano*, vel melius a mactandis victimis; quod ibidem quoque lapis effoſſus cum inſcriptionis fragmento hujuſmodi videtur innuere: 3. *de Velitern. l. 3. c. ult.*

M. DURMIUS - - - -

-- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- --

-- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- --

-- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- --

SACRIFICII LAVATIONEMQUE - - - -

-- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- --

In ruinis autem hujus templi omni veterum ſuperſtitione ſublata, ædes Sancto 4. Clementi Pontifici Maximo totius urbis ſacrarum ædium princeps conſecrata eſt. 4. *Teul. ibid.*

Ceterum, ſacrificium illud quo nondum peracto ad bellum Octavius, ſemicrudis extis in ara Martis relictis, profectus eſt, ſub tempora Dictaturæ Furii Camilli contigiſſe ab quibuſdam memoriæ proditum eſt. Fuere quoque Velitris Apollinis Sangi atque Herculis templa. 5. Scribunt enim Livius & Julius Obſequens, V. C. anno quingenteſimo quinquageſimo primo, Lucio Cornelio Lentulo, & Publio Julio Appulo Coſſ. Veliternorum Legatos Romæ in Senatu nunciaſſe templa Apollinis & Sangi Velitris de cælo 5. *Liv. lib. 32. & Jul. Obſeq. de Prodig. pag. mihi 46.*

tacta

tacta fuisse, & in templo Herculis ibidem humanos capillos enatos. Quæ prodigia ne male ominosa infortunii aliquid importarent, ab Romanis multarum hostiarum sanguine expiata sunt. De cælo enim tangi locum aliquem prodigii loco habuerunt veteres; cum tamen naturæ vires id adeo non superet, ut illi etiam maxime sit consentaneum. Quoscumque enim Sol diurnis horis e terra in sublime vapores candentibus trahit radiis, hos in nubem nunc rariorem nunc densiorem collectos in terram rursus, mirum tamen in modum mutatos, cælum dimittit. Siquidem alii humore prævalente in imbrem mutati decidunt; alii in grandinem, cum aeris superior regio frigore imbuta eos ita durat; alii in nivem, eo quod & frigore & ventis multum fuerint agitati, unde illis candor & densatio. Alii denique siccitate in iis excedente potioresque eorum partes pervadente, in fulgura tonitrua & fulmina, aliasque hujusmodi exhalationes conversi solvuntur. Fulgura vero hujusmodi sunt exhalationes quæ in aere momento accenduntur, eodemque ferme exstinguuntur. Tonitrua hiatus quem ducunt nubes dum ab fulmine vi aperiuntur immanemque illum ac terribilem sonum cient, quo facto etiam profani illi regnare Jovem credebant. Fulmina vero exhalationum ipsarum parva quædam massa durissime densata & in sublime accensa nitratis particulis lapilli instar habentia, impetu summo e nubibus ejaculata mirabilesque effectus edentia, prout impetus fert illa, variaque mixtura componuntur. Quæ omnia juxta naturæ leges ab Optimo Conditore institutas omnino sunt. Quamquam non negaverim, hæc eadem in humani generis supplicium ab irato Numine justissime sæpius adhiberi. Cur enim inter latissimi agro-

agrorum tractus vineas, hanc potius quam ceteras, immo hanc unam, alia omni incolumi, verberet grando ac depopuletur; atque hanc ædem, hunc hominem præ reliquis ferme ibidem stantibus fulmen feriat, id nonnisi divina Numinis providentia fieri fatendum. Siquidem, *ignis*, 6. *grando*, *nix*, *glacies*, *spiritus procellarum faciunt verbum ejus*, ait Divinus Vates. 6. *Psal.* 148.
Cui sapientissimus Salomon concinit: 7. *Ibunt directe emissiones fulgurum, & tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines*. 7. *Sap.* 5. 22. & 23.
Ideo autem tum antiquitus, tum per hæc tempora ædes sacræ sæpenumero de cælo tanguntur, quia sublimiores reliquis ædificiis iisdem ferme supereminent. Fulmen autem in id quod primo sibi resistit, vim facit. Hinc summos feriunt fulmina montes, & de Jove, ut putabant veteres, tonante ait Maro: 8. *ille flagranti* 8. *Georgic.* *lib.* 1. *v.* 331.

Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit.

qui omnium altissimi montes habiti sunt. Veteres tamen locum aliquem, ut ajebam, præsertim sacrum, de cælo tangi, tamquam quid ominosum & sacrificiis expiandum habuere. Eo proinde loco, quo fulmen ceciderat, oves diis suis, ad eorum iram inde avertendam, mactabant; locumque ipsum ab ovibus, quas etiam *bidentes* dixere, *Bidental* nominabant. Ovem itaque inibi mactatam sepeliebant, & veluti diis jam consecratum locum vel calcare, nedum effodere, nefas ducebatur. Sunt qui ovem unam in loco de cælo tacto mactari consuevisse dicunt. Nonius autem duas dicit, atque exinde *Bidental* nominatum. Quod autem inibi effodere sacrilegum duceretur, aperte docet Horatius, dum lepidissime malum poetam, qui

in-

invita Minerva iratisque ceteris diis versus factitabat, ita sugillat: 9.

9. *In fine Art. Poet.*

Nec satis apparet, cur versus factitet. utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus.

Non tantum autem locus de cælo tactus *bidental* est dictus, verum ipsum quoque ovium sacrificium inibi immolatum *bidental* quandoque dictum innuere videtur Persius his versibus: 10.

10. *Satyr. 2. v. 27. & seqq.*

Ignovisse putes: quia cum tonat, ocyus ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuque domusque?
An quia non fibris ovium Ergennaque jubente
Triste jaces lucis evitandumque bidental,
Iccirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Juppiter?

Quod autem in æde Herculis Velitris humani capilli enati fuerint; humido pavimento, sive madidis parietibus potius, quam miraculo tribuendum; præsertim cum ea fila quæ humani capilli superstitiosis Veliternis visa sunt, similitudinem potius eorum, quam veritatem fortasse exhibuerint. Ceterum de Apolline ejusque cultu satis multa in historiæ hujus libro quarto, qui de Antiatibus est, exposuimus, ubi de templo Apollinis Antiatini verba faceremus. Ea itaque hic minime repetemus. Id quidem Apollinis Veliterni singulare veluti non omittendum, quod humanis victimis Apollo ab Veliternis colebatur. Cujus non obscurum argumentum ea quæ subdam Velitris effossa monumenta esse possunt. 11. Anno itaque reparati orbis quadragesimo tertio supra millesimum & sexcentesimum, Velitris eo loco qui *Collis Othonis* dicitur, effossa est urna cineralis ex purpureo marmore, quod *porphyreticum rubrum* appellant, elegantissime & sub-

11. *Teul. l. 1. c. 11.*

& ſubtiliſſime elaborata, adeo ut artis miraculo id factum eſſe videatur, cum duriſſimum illud marmoris genus nonniſi difficillime effingi & inſculpi poſſit, ne dum ad tam ſubtilis labri, ut in hac urna exſtat, elegantiam deduci. Operculo tegebatur urna ex eodem marmore eademque artis induſtria ſubtiliſſime elaborato. Quo detracto apparuerunt intus cineribus immixti carbones & humanorum oſſium fragmenta in cineres nondum dilapſa; cernebanturque parvuli dentes in malarum parte adhuc integri, ex quibus pueri cadaver ibi conditum fuiſſe plane conſtitit. Inſuper annuli duo aurei intra ipſam urnam reperti ſunt, in quorum altero majore pretioſus includebatur lapis *corneus* dictus, vulgo *corniola*, in quo inſculpta erat imago Apollinis columnæ innixi manuque citharam de more gerentis: in minore autem annulo expreſſum erat caput pueri criſpo capillo, quod gentis nobilitatem indicare putant. Extra urnam vero ampullæ duæ vitreæ repertæ ſunt, quas *lacrimatoria* dixere perperam aliqui, corrupto penitus ſanguine & inſtar lapidis durato plenæ. impoſita autem cum ampullis erat urna lapidi tamquam baſi cuidam ſive aræ cum inſcriptione: APOLLINI SACRVM. Quæ omnia humanam victimam Apollini crudeliſſime cæſam declarant. Ibidem & lucerna teſtacea effoſſa eſt, in qua ſcriptum erat COMMVNIS. De qua id tantum innuam, ex iis lucernis eam unam fuiſſe, quas ſepulcrales, & perpetuas antiqui dixerunt, quaſque in omnibus ferme ſepulcris apponere conſueverant; quod etiam in ſepulcro humanum animum quodammodo adhuc cum corpore habitare putarent. Quam inolitam hominibus ſuperſtitionem ut tolleret Chriſtiana noſtra Religio, atque in immor-

F talita-

talitatis animorum argumentum (non tamen in ſepulcro cum cadaveribus degentium) adhiberet ; & faces Chriſtianorum cadaveribus, dum efferuntur, accendi, & dum illis bene precamur, apponi permittit. Et Sanctorum virorum cineribus lucernas apponere in honoris argumentum conſuevit. Antiquorum autem lucernæ ſepulcrales ideo *perpetuæ* etiam vocatæ ſunt, quod impoſita diutiſſime ardenti materia alerentur, quæque vel ipſa ſæcula, dummodo ab externo aere cuſtodirentur, duraret. Certe Romæ in arenariis ad Martyrum ſepulcra ejuſmodi lucernæ paſſim detectæ ſunt; quæ tunc demum ſunt exſtinctæ, dum detegerentur, aeris externi vim non ferentes: cum tamen ab foſſoribus ardentes lucemque emittentes in ipſa foſſione conſpectæ eſſent. Bituminis autem ſpecies quædam in ipſis apparet duriſſimi, ex nitratis certe ac ſulphureis particulis compoſiti, ceteraque ad diuturnam combuſtionem & lucem apta materie. Quod incluſæ tamdiu lumen & calorem ſervarent, apertæque utrumque ſtatim amitterent, id cauſſæ fuiſſe nonnemo dixerit; quod pinguis ille vapor quem lucernarum ea quæ modo nominavi alimenta, ad ſepulcri ſive urnæ convexa verticemque emiſiſſent, cum nulla ex rima foras erumpere ullatenus poſſet; in ipſam denuo lucernam pinguiſſimus jam factus nec præ pondere ſuſtentari jam valens decideret; novumque lumini calorique lucernæ alimentum præberet: quod illa rurſus ad ſepulcri convexa ſummitteret, in novum ſui ipſius alimentum condenſandum. Quæ vices tamdiu durarent, quamdiu materies illa repetitis hiſce itineribus ac circuitionibus ſenſim imminuta ac denſata, pinguedinem tamdem atque uliginem penitus amiſiſſet. Secus autem ſi vel rimu-

rimula una patuiſſet, ex quâ vapores illi exitum aliquem inveniſſent: tunc enim vero exſtingui continuo ac deficere cum calore omni lumen neceſſe erat. Incredibile tamen hoc rem altius inquirentibus viſum eſt. ut ut enim ad tempus aliquod ea alimentorum in lucernam toties e ſepulcri cavo vertice recidentium ſeries lumen caloremque ejuſdem conſervare potuerit; tot tamen ſæcula ſuſtentare minime potuiſſet, ut foſſoribus accenſa videretur. Illud itaque veritati magis conſentaneum magiſque credibile dicendum videtur; hoc genus lucernas, jamdiu exſtinctas, tunc rurſus momento accendi, cum deteguntur; externo aere particulas nitri ac ſulphuris excitante atque accendente; eo ferme pacto quo noctu per æſtatem in agris accenduntur exhalationes ad aeris motum a curribus magno impetu tractis excitatum; qui ignes fatui longe alii ſunt ab iis flammis quas ſtellas de cælo lapſas vulgus exiſtimat. unde Virgilius Georgic. 1. ex vulgi opinione locutus dixit:

Sæpe etiam ſtellas vento impendente videbis
Præcipites cælo labi, noctiſque per umbram
Flammarum longos a tergo albeſcere tractus.

Ceterum inſcriptio lucernæ Velitris apud ſacrificium Apollinis effoſſæ, de qua nobis ſermo eſt, indicat lucernam ipſam pluribus fortaſſe ſepulcris communem fuiſſe, vel communi oleo aliove alimento arſiſſe; quod altius inveſtigare operæ pretium minime ducimus. Nomen quidem artificis in ejuſmodi lucernis inſcriptum ſæpe cernitur; adeo veteribus illis ſua nomina poſteris commendare cordi fuit. Jam vero humanis victimis profanorum deos delectatos eſſe ſatis conſtat. Mali enim Genii humani generis hoſtes infenſiſſimi nullam non rationem ad id perdendum ex-

cogitarunt. Itaque apud multas gentes humanas sibi cædi hostias sub deorum nomine, Deo Optimo Maximo permittente, obtinuerunt. Judæis quidem simulacrorum cultu jam fœde corruptis id moris fuisse, præter cetera vel ex illo Davidis testimonio satis
12. Psal. 105. 37. colligitur: 12. *Immolaverunt filios suos & filias suas dæ-*
13. L. 4. c. 6. *moniis.* 13. Paullus vero Orosius multis ostendit hujusmodi sacrificia antiquitus fieri consuesse ab deorum cultoribus tamquam publicæ alicujus calamitatis piaculum, grassantis præcipue pestilentiæ: pueros autem præsertim in sacrificium adhibitos, quod illi gratior diis hostia putarentur. Unde si quis pueri hujus Veliterni immolationem ad annum V. C. CCLXII., quo Velitris pestis illa fœdissime sæviit, referre velit; is prudentem omnino conjecturam sequetur. Fabulas hic de Iphigenia Agamemnonis filia a patre immolata vel certe immolanda, hospitumque sacrificia quæ fieri solita in Chersoneso Taurica poetæ commenti sunt, nemo non novit. Vetuit autem Augustus Cæsar aliique post ipsum Romanorum imperatores humanas victimas intra imperii Romani fines deinceps occidi. Id autem decretum ad populos tunc temporis omnino ignotos extendi minime potuit. Quare in America detecti novi orbis parte, regione quam Mexicanam dixerunt, humanæ publice victimæ diis mactari ad ea usque tempora consueverunt quibus Hispanæ classis ductores, Mexicano rege triumphato, lo-
14. Gabriel de Sol. in hist. Mexic. corum potiti sunt. 14. Vestigia enim immanissimi ejusmodi sacrificii ea qua par erat abominatione persecuti, non modo ea penitus, verum ceteram omnem superstitionem, veræ Religionis explicato ibidem vexillo, funditus sustulerunt. De humana hostia non tamen diis nominatim cæsa, verum ad

amo-

amoris poculum conficiendum, defoſſo in terram alte nobili puero ab ſaga Canidia ſic elegantiſſime de more Horatius: 15. 15. Od. 5. Epod.

Ut hæc trementi queſtus ore conſtitit
Inſignibus raptis puer,
Impube corpus quale poſſet impia
Mollire Thracum pectora.

Et paullo infra:

Abacta nulla Veja conſcientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo poſſet infoſſus puer
Longo die bis terve mutatæ dapis
Inemori ſpectaculo:
Cum promineret ore, quantum exſtant aqua
Suſpenſa mento corpora;
Exſerta uti medulla & aridum jecur
Amoris eſſet proculum;
Interminato cum ſemel fixæ cibo
Intabuiſſent pupulæ.

Et hæc quidem de Apollinis templo cultuque illi ab Veliternis exhibito. 16. De Sango vero, cujus templum Velitris pariter fuiſſe Livius commemorat, animadvertendum, quod illum etiam *Sancum* & *Sanctum* dixerunt. Nec defuere qui illum eumdem ac Sabum Sabinorum deum, a quo ipſum Sabinum nomen derivatum ſit, exiſtimaverint. perperam tamen. Silius enim Sabinorum manum, quæ auxilio Romanis adverſus Hannibalem venerat, recenſens, Sanctum a Sabo plane alium fuiſſe his verſibus teſtatus eſt: 17. 16. Liv. l. 32. 17. Sil. Ital. l. 8. de bell. Punic.

Ibant & læti pars Sanctum voce canebant
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas, qui de patris cognomine primus
Dixiſti populos magna ditione Sabinos.

San-

Sangus itaque Sancus & Sanctus, cui Veliterni templum ædificaverant, idem fuit atque Hercules; iis autem nominibus appellatus, quod universum terrarum orbem a se peragratum, exstinctis ubique monstris devictisque tyrannis, in libertatem asseruisset ejusdemque libertatem veluti sanxisset. Quod Propertius de Hercule loquens expressit: 18.

18. *Lib. 4. Eleg. 10. aliis 9. in fine.*

Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sancum (alii codd. *Sanctum*) *Tatii composuere Cures.*

Huic ad faustum iter impetrandum sacrificabant. ita enim Festus: 19. *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi caussa Herculi aut Sango* (alii *Sanco*) *qui scilicet idem est deus*. Veliterni tamen Sangum veluti alium omnino ab Hercule venerabantur, nam & Herculi & Sango duo templa singula singulis ædificaverant. Quod allato Livii testimonio satis constat. Ait enim, Veliternorum Legatos Romæ in Senatu nunciasse, templa Apollinis & Sangi Velitris de cælo tacta, & in templo Herculis ibidem humanos capillos enatos fuisse. En ut singillatim Sangi & Herculis templa commemoravit. Ceterum Sigismundus Gelenius, 20. & Jacobus Nardus Livii interpretes hoc loco, *templa Apollinis & Saturni*; non vero, *templa Apollinis & Sangi* legerunt, sin minus Livii sensum, prudentem certe conjecturam secuti. Non enim adeo verisimile est Velitris, in urbe Latina & Volsca, Sangum Sabinorum deum templo cultum; cum præcipue idem ille esset atque Hercules, cui Veliterni peculiare jam templum sub ipsius Herculis titulo exstruxerant. Saturno autem dedicatum templum fuisse Velitris, vero proximum erit suspicari; cum Latio ille nomen dedisset, *his quoniam tutus latuisset in oris*. Romanarum antiquitatum seduli investigatores notarunt, Sango

19. *De verbor. signific.*

20. *In hunc Liv. loc.*

Sancto Sanco ſive Sabo Sabinorum deo Romæ inter duos pontes Fabricium & Cæſtium in inſula Tiberina ſtatuam poſitam fuiſſe cum mutila inſcriptione:

S A B S A N C T O

ſive ſic: S. S A N C T O

Quam noſtri quidam ſacrarum rerum Scriptores Simoni illi Mago, quo cum glorioſum illud Sancto Petro certamen Romæ in Foro boario fuit, ab Nerone poſitam fuiſſe perperam ſcripſerunt, inſcriptionem ſic interpretati: S I M O N I S A N C T O

Cum tamen Sabino Sancto, ſive Semoni Sango, aut Sanco ſtatuam illam inſcriptam olim fuiſſe veriſimilius multo ſit. Cum & Ovidius in Faſtis, & Livius libro octavo hunc Deum Semonem Sancum nominaverit. De quo plura deſideranti adeundus inter ceteros Aldus junior in epiſtola de Reatina urbe & Sabina gente, ubi veterum de Sanco teſtimonia quamplurima in medium protulit. De Sangi templo Velitris nullum exſtat veſtigium; quamquam illud eo loco fuiſſe ubi nunc Sancto Michaeli ſacrata eſt ædes, obſcuram incertamque famam ſecuti quidam memoriæ prodiderunt.

De Herculis autem templo Velitris condito id tantum vetuſtiſſima apud Veliternos fama prædicat, eo ſcilicet loco exſtructum ubi nunc ædes ſacra viſitur quam *Sancti Joannis in plagis* appellant. Immo hanc ædem ſacram ipſum Herculis templum antiquitus fuiſſe quidam autumant; quod profanorum omni ſuperſtitione purgatum in Dei Optimi Maximi honorem conſecratum fuerit. Velitris quoque in vico *Columella* appellato ſignum Herculis eximiæ cælaturæ licet truncum effoſſum fuit, quod pariter Herculis apud Veliternos antiqui cultus argumento eſſe poteſt.

Fuiſ-

Fuisse quoque Velitris ædem Fortunæ testatur lapis vetustus in agro Veliterno, loco qui dicitur *Junci* effossus cum Bacchi Silenique altoris ejus marmoreis exsculptis capitibus, & inscriptione:

-- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- --
GEMINVS -- -- -- -- --
PRAETOR Q. III -- -- -- -- --
SVVE -- -- -- -- -- -- -- --
-- -- -- -- -- -- -- - ANTONI
-- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -
AEDES FORTVNAE

De Fortuna vero quamplurima in Antiatum historia dicta sunt, cum de Fortunis celeberrimis Antiatinis ageretur. Teulus etiam Velitris Dianæ templum fuisse scripsit, quod ob Aricinorum cum Veliternis vicinitatem a vero minime abhorret; licet nulla jam quibus id confirmare possimus nobis argumenta supersint. In prædio autem quodam, quod nunc gentis Borgiæ Veliternæ est, ab ipsis Velitris tertio ferme lapide via Appia euntibus, ad latus quod mare spectat, quamplurimæ veterum ædificiorum visuntur ruinæ, quæ rudera vetustissimi templi Soli & Lunæ dedicati fuisse creditum est. Inde autem hoc credendi argumentum deductum; quod hic locus in quibusdam sæculi decimi reparatæ salutis sacris tabulis, Marino aut Martino hujus nominis secundo Pontifice Maximo, *Solis Lunæ* nomine appellatus est; & hac ipsa ætate qua vivimus, ager idem vulgato nomine *Solluna* vocitatur. Teulus tamen in hac agri parte, in qua hujusmodi visuntur rudera, Castellum quod Latina. 21. Itineraria dixerunt *Ad Sponsas*, collocavit.

21. *Itiner. Antonin. & Hierosol.*

Alia

Alia certe Velitris, utpote in urbe quondam celebri & populosa, præter hic recensita, templa exstiterunt, quorum tamen nulla omnino ad nos monumenta pervenerunt. Inter prodigia autem (quandoquidem & de illis una cum templis nobis hic sermo est) etiam ingentes hiatus terræ, quos in agro Veliterno late ductos legimus, recensendi sunt. 22. Anno itaque Urbis Conditæ quingentesimo quadragesimo octavo, dum bellum Punicum secundum fervesceret, Tito Claudio Nerone & Marco Servilio Gemino Consulibus inter multa alia prodigia, malorum quæ Romanis eventura erant, prænuntia, hoc quoque prodigii loco habitum est; quod in agro Veliterno terra ingentem adeo hiatum duxit, ut in vastas voragines aperiretur, arboresque multæ penitus sepultæ nullatenus apparerent. 23. Et Urbis Conditæ anno quingentesimo quinquagesimo secundo, Tito Quintio Flaminio & Sexto Aelio Pæto Consulibus, in agro pariter Veliterno terra hiatum adeo ingentem longe lateque diduxit, ut trium jugerum voraginem aperiret. *jugerum* autem (quod sciunt omnes) spatium ab antiquis dicebatur quod validum boum par die uno arare potuisset. His Romani perterriti, ad victimarum diis suis facienda sacrificia, tamquam ad sacram in naufragio anchoram, confugere.

22. *Liv. l.* 30.

23. *Id. l.* 32.



CAPUT V.

De reliquis Veliternorum ædificiis ac præsertim de villis in agro Veliterno olim exstructis.



UNC, veteri adversus temporum injurias, barbarorumque furorem, humanarum denique rerum vicissitudines præmissa querela, quod ex antiquis Veliternorum magnificentissime excitatis ædificiis vel ipsa rudera, & quod fuerint memoria ferme penitus absumta sit; cetera persequar, quorum tenue aliquod vestigium & languida fama ad nos pervenerunt. Amphitheatrum ad ludos ceteraque exhibenda spectacula Velitris fuisse constat ex veteri inscriptione, quæ exstat Velitris in Publicis Urbani Magistratus ædibus. Ea sic habet:

LOLCIRIA
DD. NN. VALENTINIANO ET VALENTE SEMPER AVGVSTIS
LOLCIRIVS PRINC: CVR. ET EDITOR DVODENA DE PROPRIO------
VETVSTATE COLLAPSVM AD STATVM PRISTINVM REDVC:
AMPHITHEATRVM CVM PORTIS POSTICIIS ET OMNEM FABRI------
ARENAE NEPVS LOLCIRI PRINC: CVRIAE ET ANTE ERECTORIS FILIVS
CLAVDI PRINC. ET PATRONI CVR: PRONEPOS
MESSI COR----------PRINC: FELICITER.

Quæ

Quæ quidem inſcriptio dum Velitris Amphitheatrum a Lolcirio Curiæ principe de ſuo ad ſtatum priſtinum reductum, eo quod vetuſtate collapſum eſſet aperte teſtatur, Velitris priſcis temporibus Amphitheatrum exſtitiſſe, dubitare nos minime ſinit. Dum hæc ſcriberemus oſtenderunt nobis Velitris cives ad turrim quamdam loco urbis olim celebri ſaxa prægrandia cum antiqui fornicis veſtigiis ac ruderibus, ex quibus inſcriptum lapidem hic allatum inventum fuiſſe patrum ſuorum ætate ajebant, ac inde in novam Curiam tranſportatum. Unde eo loci Amphitheatrum antiquitus exſtructum liquido apparet. Saxa autem quæ ibi totaque vicinia paſſim diſperſa videntur molis ſatis indicant magnitudinem; ſunt enim fere ejuſmodi qualia in Romano & Capuano Amphitheatris hodieque cernuntur. Cum autem hoc ſatis conſtet; & illud ſequitur ut prudenter ceteram omnem veluti ſupellectilem ad ludos adornandos Velitris exſtitiſſe affirmemus. Palæſtram ſcilicet ad athletarum & luctatorum exercitationem conſtructam; ſtadium quo curſu exercerentur; caveas ad beſtias pro ſpectaculis cuſtodiendas; gladiatorum denique domum ſive gymnaſium publicum minime defuiſſe. Ceterum, ipſum nomen Amphitheatri, ejuſdem ſtructuræ figuram plane deſignat. nempe rotundam, vel ovatam ad ſummum eam fuiſſe; eorum inſtar quorum adhuc Romæ, Capuæ, Puteolis, Veronæ, Patavii, atque alibi partem ſuperſtitem cernimus. In ruinis autem jacuit Veliternorum Amphitheatrum uſque ad Valentiniani & Valentis Romanorum Imperatorum ætatem: quod, præter bellorum barbarorum clades, res Chriſtiana ſic poſtularet. Quæ enim in Amphitheatro gerebantur, ea omnia ferme erant quæ Chriſtiana Religio ſanctiſſimis legibus

interdixit. Vel enim fera, inhumana, crudelissima gladiatorum sese invicem confodientium humanoque sanguine & cæde arenam imbuentium edebantur spectacula; vel innocentium ad bestias iniquissime damnatorum ac sæpenumero Christianorum miseranda strages; vel certe turpissimorum histrionum, ludionum, mimorum, & pantomimorum ad omni impurissimæ libidinis genere fœdandos oculos animosque spurcissimi ludi habebantur. Adversus hæc itaque Patres Sanctissimi & Christianæ Legis Doctores perpetuis iisque ardentissimis orationibus declamare, hæc assidue persequi & funditus undique eorumdem memoriam omnem, quoad illis liceret, tollere non destiterunt. Christianos quoque Imperatores ad ea omnia loca, in quibus hæc edi consueverant penitus diruenda, edictoque ne in posterum fierent, cavendum, validissimis cohortationibus excitarunt. Unde & ab spectaculis aliquamdiu in Romano Imperio cessatum, & theatra, circi, aliaque ejusmodi spectaculorum receptacula diruta. Donec in antiquam morum licentiam populis paullatim revertentibus amphitheatra & theatra restitui, atque in illis spectacula rursus dari ab Imperatoribus populorum precibus delinitis ingenti Christianæ rei damno permissum est. Et hoc quidem unum unicum est ædificium publicum, quod Velitris exstitisse ad nostram ætatem perducta monumenta commemorant. Habuere quidem Veliterni collegia quædam artificum, quorum infra inscriptiones dabimus; ac proinde ædes aliquas publice excitatas, in quibus aliquando convenerint, illis fuisse certum est. Verum nullum ex his neque vestigium neque monumentum, quænam, quanta, quot, quove loco fuerint, nos edocet. Uno ergo verbo rem omnem expediam.

pediam. Velitris ea omnia publica privataque ædificia, quæ ad antiquissimam, fortissimamque, & nobilissimam urbem, Romanorum Coloniam omni amplitudine exornandam præsto essent, minime esse desiderata. Villarum enimvero in agro Veliterno monumenta quædam partim veteres historici, partim antiqui detecti lapides nobis suppeditant. Et primo quidem Tarquinium illum Superbum septimum Romanorum Regem villam in Veliterno habuisse eo loco qui nunc *Carrara* appellatur, scribit Teulus, 1. ibidem namque inter alia multa e ruderibus eruta monumenta, ex quibus ingentem ac sumtuose ædificatam villam exstitisse apparet, avorum nostrorum ætate, Tarquinii Superbi statua scite admodum elaborata reperta est, quam Scipio Burghesius Cardinalis inter sua pretiosa, quæ magna cura & magna copia antiquitatis monumenta collegerat, collocavit. Fuit pariter in Veliterno rus Servii Eburii, quod juxta viam Appiam effossus lapis ostendit. Cum enim mos obtineret apud veteres ut in paternis prædiis juxta celebriores militares & consulares vias sepulcra constituerentur; sepulcralis lapis gentis Eburiæ sepulcro olim appositus, & in Veliterno repertus, ibidem gentis ejusdem rus exstitisse satis confirmat. Est autem hujusmodi:

1. *Teul. de Velit. l.* 1. *c.* 10.

DIS MANIBVS SAC.
XVI KAL. OCTOBR:
C. BELLO VERO NATALE ET P.
CORNELIO SCIPIONE ASIATICO COSS:
SERV. EBVRII Q. F. OVFENT SVAVIS
TRIB.
MILIT: LEG: VII CLAVDIAE VICTRIC:
EBVRIA ANNIA FAVSTA MATER
M. EBV-

M. EBVRIO SERV. FIL. SEX: N. TRIVM. QVI VIXIT ANN. XXVIII D. XVI DVLCISSIMO VIRO PARENTES FECERVNT SIBI ET SVIS HAEREDIBVS. IN FR: PEDES XII. IN AGR: PED. XVIII

Aimiliam quoque gentem Pomptinæ tribus Veliternam origine, apud antiquam majorum patriam rus cum villa habuiſſe innuere videtur lapis alter in Veliterno pariter effoſſus, & ſic inſcriptus:

DIS MANIBVS
L. AIMILIO L. F. POMPT:
SEVERIANO VELITER:
VETERANO COH: VII
PRAET: VIX: AN LXXV
MILIT: ANN. XXVII
M. AIMILIVS M. F. RVFI
NIANVS T. P. C

Quæ ſic inoffenſo pede leges: *Lucio Aimilio Lucii filio e tribu Pomptina Severiano Veliterno veterano militi cohortis ſeptimæ Prætoriæ*, ſive *Prætorianorum*. *Vixit annis ſeptuaginta quinque*. *Militavit annos viginti ſeptem*. *Marcus Aimilius Marci filius Rufinianus teſtamento poni curavit*. Ubi hæc obiter adnotanda. ſcilicet apud veteres *Aimilium* eumdem fuiſſe, atque *Aemilium*: uſurparunt enim aliquando Græcorum *alpha* & *jota* tamquam duas ſeparatim poſitas & pronuntiandas vocales literas. Quod apud Sextum Aurelium Victorem patet. 2. is enim pontem *Aemilium*, qui cum Cæſtio Tiberinam inſulam reliquæ Urbi conjungit, *Aimilium* ſemper appellat. Chriſtophorus etiam Cellarius 3. multa in

2. *De regionib. Urb. Rom.*
3. *In Orthograph.*

ta in hanc ſententiam & teſtimonia & exempla adducit. Notandum quoque Veliternum hunc civem glorioſa viginti & ſeptem annos ſtipendia feciſſe, ac proinde non inter veteranos ſolum, verum etiam Prætorianos milites merito allectum. Erant autem Prætoriani ii qui circa Prætorium excubias agebant, ipſumque Imperatoris vel Conſulis (quamdiu rerum ſumma apud Conſules fuit) corpus cuſtodiebant. quibus obeundis muneribus nonniſi fideliſſimus quiſque & militiæ laboribus exercitatiſſimus deligebatur. Cum enim iis Imperatoris vita crederetur, eos opus erat fideles pariter atque fortes exſiſtere. Sæpius 4. tamen Prætoriani, vel Imperatorum tyrannide exaſperati, vel novarum rerum cupidi in ipſos Imperatores conſpiraverunt, eoſque immaniſſime contrucidaverunt. Notandum denique Veliternorum civium robur, qui militiæ labores invicti tot annos tolerarent. Gens quoque Octavia rus habuit in Veliterno, utpote patrio agro, in cujus villa educatum Octavium Auguſtum ſcripſit 5. Suetonius. Rus hoc *Ulubræ* dictum Porphyrius in Horatii commentariis, & noviſſime Pyrrhus Ligorius in antiquorum lapidum recenſione dixerunt. quorum ſententiam infra cum de gente Octavia Veliterna nobis ſermo erit, diligenter diſcutiemus. Jam vero miraculum illud penſilis in arbore cœnæ, quod de Cajo Principe memorat Plinius, Caji ejuſdem villam in Veliterno fuiſſe ſatis oſtendit. Juvat ipſius Plinii verbis rem totam exponere. De platanorum itaque magnitudine diſſerens, ex his unam immenſæ veluti magnitudinis ſic celebrat: 6. *Aliud exemplum Caji Principis in Veliterno rure mirati unius arboris tabulata laxiſque ramorum trabibus ſcamna patula, & in ea epulati; cum ipſa par eſſet umbræ,*

quin-

4. *Vid. Sueton. in Vit. Cæſar.*

5. *in Octav.*

6. *Plin. l. 12. c. 1.*

quindecim convivarum ac ministerii capaci triclinio. Quam cœnam appellavit nidum. Cajus itaque Caligula, quem

7. In Calig. c. 37.

Suetonius 7. nepotinis sumtibus omnium prodigorum ingenia superasse, & commentum novos balnearum usus, portentosissima genera ciborum atque cœnarum memorat, magnitudine platani in Veliterno suo rure satæ incredibiliter delectatus, cœnam in ea pensilem quindecim convivarum instituit. tantaque arboris fuit vastitas proceritas & latitudo, ut quindecim ipsis convivis non modo umbras sed etiam sedes scamnis e ramis exstructis præbuerit; tricliniumque non in convivas solum, verum & in omne ministerii genus, servorum nempe & supellectilis multitudinem satis aptum sufficeret. quam ille cœnam congruo satis cognomento nidum appellavit.

8. Juvenal. Sat. 4. in fin.

8. *Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset*
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas impune & vindice nullo!

Mendose quidam, ut mea quidem fert sententia, ex Plinio Scipionem Africanum in Veliterno villam habuisse asseverarunt. Locum unde id se hausisse confirmant, in medium adducam, qui talis est: 9. *Magna fama & Vetuleno Aegialo perinde libertino fuit in Campaniæ rure Linternino, majorque etiam favore hominum, quoniam ipsum Africani colebat exsilium.* Loquitur hoc loco Plinius de vinearum exquisita cultura, in qua Aegialum hunc Vetulenum excelluisse ait, celebratumque quam maxime, eo quod Publii Scipionis Africani rure suo Linternino exsulantis vineas, quæ exsilii ipsius solatium fuerant, Aegialus post eum coluisset. Itaque nuperrimus rerum Veliternarum Scriptor, Christophori Landini Plinii interpretis auctoritatem secutus, inquit: *In aliquibus Plinii exemplaribus legi*

9. Plin. l. 14. c. 4.

hoc

hoc loco, non quidem rure Linternino, verum Veliternino; dicendumque colligit, in Veliternino Scipionem villam habuisse, Aegialumque Vetulenum magnæ famæ in vinearum cultura Veliternum civem fuisse. At, præterquam quod omnia ferme Plinii exemplaria paullo emendatiora, immo omnia quæcumque ego quidem viderim, habent *rure Linternino*, non *Veliternino*, Scipionis exsilium Pliniique verba illum de Linternino rure locutum, nos dubitare minime sinunt. Nemo enim nescit, qui vel minimum Romanam historiam calleat, Scipionem Africanum post Africam ipsam, de qua gloriosum nomen est mutuatus, Romanæ Reipublicæ adjectam, ab ingrata patria exsilio pæne multatum, ut civili invidiæ se eximeret, in Campaniæ oram amœnissimam sponte secessisse, & in Linterno, qui locus prope Formias, urbem olim ad Lirim amnem & juxta mare contra Cajetam prænobilem & delicatissimam, erat, agricultura delectatum, ibidem quoque decessisse; atque habuisse sepulcrum, juxta quod draconem in caverna delituisse, quem Scipionis custodem Genium profani fuisse commenti sunt. Plinii autem verba ambiguitatem omnem attente ea perpendentibus penitus tollere mihi videntur. Siquidem ait: *in Campaniæ rure Linternino*. Veliterninus autem ager in Campania numquam fuit; neque Plinio Latium, in quo Velitræ, umquam *Campania* nominatur; cum optime & Latium & Campaniam tamquam duas Provincias conterminas quidem, verum distinctas, semper discriminaverit. De villa autem Scipionis Africani in Linternino habet Seneca pulcherrimam ad Lucilium ex eadem villa datam epistolam, quæ octogesima sexta numeratur. In ea ædificium ac balneum Scipionis multis describit,

& utrumque nec lautum nec politum fuiſſe ait. Ex quo, pro re nata, ſui ævi luxum inſectandi occaſionem arripit. Aegialum autem tunc temporis ejuſdem villæ dominum fuiſſe ſcribit. Quamquam vero hæc ita ſe habeant; Veliternis tamen vineis ſuus etiam apud veteres ipſumque Plinium honor eſt habitus. Enumerat 10. namque auctor idem inter primæ potiorisque famæ vina etiam Veliternina & Privernatia. Certe Veliternum ſolum etiam hac tempeſtate quamplurimas educat vineas generoſi vini parentes, quod expreſſum atque igne robuſtius factum, aduſtum illud eſt vinum vulgo *Acqua-vite*, quod Romæ circumforanei propolæ venditant, & non modo ſub gallicinium, verum concubia ipſa nocte & intempeſta inconditiſſimo clamore emtoribus ingerunt. Ideo autem Veliterna vina apud veteres in pretio habita crediderim, quod fumoſis maxime ſint delectati, qualia & Falerna illa & Cæcuba, Maſſica quoque & Setina fuiſſe Plinius idem ſæpius teſtatur. Nunc generoſum quidem, verum quod lene ſit ac minime auſterum, in pretio eſt. Ceterum in agro Veliterno quamplurimas tum Veliternorum illuſtrium civium, tum maxime Romanorum, & vero Imperatorum villas olim fuiſſe, ruderum veſtigia paſſim toto agro diſperſa dubitare minime ſinunt. Quamvis enim exigua admodum pars veterum ædificiorum ad ætatem noſtram pervenerit; ex eo nimirum, quod Veliternus ager vitibus plerumque ſatus ſit, quæ dum crebram foſſionem in ſui culturam requirunt, rudera ferme cuncta veterum ædificiorum ut a foſſoribus ab ipſis pæne fundamentis tollantur, in cauſſa ſunt; nihilo tamen minus, ſi palmos aliquot effodias, fere nullo non loco Veliterni agri, veſtigia antiquarum ſubſtru-

10. *Plin. lib.* 14. *c.* 6.

ſtructionum invenias. Balnearum vero rudera formarumque ad aquas cogendas conſervandaſque frequentiſſima ſunt, quæ in cellæ vinariæ uſum ut plurimum conceſſere. Aquæductuum quoque ad ipſas aquas alio atque alio ad villarum delicias & commodum diſtrahendas fragmenta quædam ſuperſunt, nullius tamen figuræ; unde nec operæ pretium duximus eorumdem imagines exhibere. quamquam ſubſtructionum, quæ certe ad aquarum uſum inſerviebant, unam alteramve accurate deſcriptam figuram hic apponimus, ut ex illis ceterarum omnium conjecturam facile quivis facere poſſit. Quædam vero antiqua Romanorum nomina nunc eadem omnino, nunc vero nonnihil immutata atque corrupta in quibuſdam Veliterni agri locis ſupereſſe videntur; quæ villarum ab iis quorum nomen præſeferunt, ibidem exſtructarum non minima argumenta ſint. Et primo quidem ſexto ferme ab urbe lapide Ciſternam verſus in diverticulo Appiæ viæ locus eſt antiquorum ædificiorum ruderibus nobilis *Tiberia* dictus, quem *Tivera* vulgus appellat. Hic Tiberii Cæſaris Imperatoris, qui Auguſto ſucceſſit, villam fuiſſe magnificentiſſimam accepimus, in cujus ruinis oppidulum quoque *Tiberia* nuncupatum exſtitiſſe Faſti Sacri memoriæ prodiderunt. Inde certe Sanctorum nonnulla corpora educta, & in urbem Veliternam translata ſunt. Unde celebrem apud priſcos Chriſtifideles locum fuiſſe ſatis conſtat. Tantæ autem hujus villæ ruderum ſuperfuerant moles ut ædificando oppido pares eſſent. quod & Pompeji Magni villæ apud Albam accidiſſe, Albanum oppidum ex ejus ruinis excitatum teſtatur. Romam vero euntibus ſecundo ab Velitris lapide, diverticulo Appiæ viæ, quam Alexander Septimus Ro-

manus Pontifex Maximus reficiendam curaverat, ut publici tabellarii qui Roma Neapolim, viciſſimque, diſcurrunt, Aricia gentis ſuæ Chiſiæ oppido tranſirent, Cinthianum verſus, peramœnus apparet collis, quem *Othonis Collem* nunc quoque Veliterni vocant; ſuitque olim gentis Toruzziæ Patriciæ Veliternæ, nunc autem Philipporum eſt Veliternorum pariter Patriciorum. Huic colli ab M. Salvio Othone Romanorum Imperatore octavo nomen eſſe, pervetuſta & conſtans apud Veliternos eſt fama. Ajuntque, ibi Othonem villam magnificentiſſime exſtructam habuiſſe. Certe ipſi in ſummi collis planitie, quæ longe lateque extenditur, vetuſtiſſimi pavimenti ex minutiſſimis lapillis intexti vidimus ſparſa ubique fragmenta; quæ nonniſi magnificentiſſimarum ædium pars exſtitiſſe dici poſſunt. Eodem quoque loco vetuſtorum ſive ad aquas cogendas, ſive ad balnearum ſolia deducendas ac diſponendas, ſive tandem ad alios uſus, exſtructorum ædificiorum moles ſuperſtites viſuntur, quarum hic expreſſam imaginem apponi curavimus. Porro totius ſubſtructionis longitudinem palmorum Romanorum eſſe centum & quadraginta deprehendimus; latitudinem vero quadraginta tantum. Triplici ambulacro diſtinguitur; quorum ſingula decem ſive arcus ſive fornices complectuntur: cujuſque vero ambulacri latitudo palmorum deprehenſa eſt novem & ſemis; ſingulorum autem arcuum intercapedo lata eſt palmos novem. pilæ demum arcus eoſdem ſuſtentantes altæ ſunt palmos quinque & dimidium; craſſæ vero palmos tres. Quas menſuras & tunc cum ibi eſſemus, diligenter adhibere, & modo dum hæc ſcribimus, ſingillatim referre placuit iccirco ut ex hac una, ceterarum, quæ in hoc agro frequentiſſimæ reperiun-

periuntur, molium ejuſmodi ſtructuram ac magnitudinem facili negotio per ſe quivis colligere poſſet. ſunt enim fere omnes ſtructuræ ejuſdem, neque diverſæ admodum magnitudinis. Illud hic non omiſerim; recentes Veliternarum rerum Scriptores quoſdam falſo memoriæ prodidiſſe, M. Salvium Othonem Romanorum Imperatorem octavum apud hanc Veliternam villam ſuam funeratum fuiſſe. Hi ſcilicet a quodam Cuſpiniano decepti ſunt, qui Suetonii auctoritatem ſecutum ſe eſſe profeſſus eſt. Cum tamen nuſquam apud Suetonium in emendatis quidem exemplaribus Otho apud Veliternam funeratus fuiſſe legatur. Et ſane Suetonii narrationem diligenter attendentibus ne veriſimile quidem apparet, Othonem; non procul a Cremona juxta viam Aemiliam cum ſibi violentas manus intuliſſet; apud Veliternam deinde villam in Latio ſitam, milliariis pluſquam ducentis & quinquaginta procul a loco cædis, funeratum fuiſſe. Ecce tibi Suetonii verba: 11. *Et celeriter (ita præceperat) funeratus XXXVIII. ætatis anno & XCV. imperii die.* 11. Sueton. in Othone c. 11. ſcilicet, audita ex milite ſuorum cæde Vitelliique æmuli victoria apud Bebriacum, Cenomanorum oppidum olim, nunc pagum, non procul a Cremona ad Ollium fluvium, mortem ſibi conſcivit; ne in hoſtiles manus vivus veniret, hoſtique ludibrio eſſet. eademque de cauſſa celeriter ſe funerari præcepit; ne, quod ſæpius victis ducibus accidit, mortuo ſaltem ſibi a victore Vitellii exercitu illuderetur. Quanta itaque putas celeritate ex Cremonenſi ad Veliternum agrum aſportari ad funerandum potuiſſe? Intervalla vides humane commoda. præſertim cum tumultuantibus exercitibus Italia tota referta eſſet. unde in hoſtiles manus Othonis cadaver aſportantibus non in-

cidere

cidere difficillimum fuiſſet. Igitur, ſi qui forte codices *apud Veliternam* haberent, ii nonniſi mendoſiſſimi & corruptiſſimi cenſendi ſunt. quod & Suetonii ipſius teſtimonio ſatis evincitur. Is enim paullo ante quam Othonis necem narraret, de ipſo aperte præmiſerat: 12. *Nec illi pugnæ* (ultimæ ſcilicet, qua infeliciter geſta, ſibi vim attulit) *affuit, ſubſtititque Brixelli:* & Plutarchi auctoritate qui ſe Brixelli, Othonis ſepulcrum vidiſſe memoriæ prodidit, idem ſatis confirmatur. Unde cum Lævino Torrentio, valde accurato Suetonii interprete, omni dubio procul dicendum, merum igitur ſomnium eſſe, quod Commentator neſcio quis *apud Culiternam*, aut *Veliternam*, aut *Vlterinam* infarſit. Eſt etiam in agro Veliterno, altero ferme milliario, Julianum ejuſdem agri oppidulum euntibus locus, quem *Collem Nervum* dixere, ajuntque ſic appellatum, quod Nervæ Cocceji Romanorum tertiidecimi Imperatoris, qui Domitiano ſucceſſit, villa ibidem exſtiterit. Quod credibilius quoque fit ex eo, quod Nerva Appiam viam, juxta quam Veliternus quoque inter ceteros ager eſt, diſjectam jam ac diſſipatam immenſis ſumtibus reficiendam curaverat. Quod multi in ipſa Appia via inſcripti lapides adhuc ſuperſtites aperte nos docent. Horum nonnullos, beneficio Michaelis Angeli Cajetani Sirmineti Ducis, ac Ciſternæ, quod oppidum in agro Veliterno eſt, domini, medias ipſas inter paludes maxima cum voluptate legi ipſe nuper. Præſtitit enim generoſiſſimus Princeps affatim ſummaque benevolentia ea omnia, quæ ad paludes Pomptinas, quæ in ſuæ ditionis tractu magnam partem ſtagnant, penetrandas ac pervadendas opus fuerunt. Unde & multum Appiæ viæ, quod carduus & ſpinis ſurgens paliu-

12. Sueton. in Othon. c. 9.

paliurus acutis, limoſoque palus obducens paſcua junco, jamdiu miſerrime obruit, inſpectare licuit; & diſpoſitas milliarias columnas cernere; & eximiæ magnitudinis inſtratos pontes ſecto & quadrato lapide contemplari ſimul ac demirari. In quorum uno, cui excelſæ molis turris fuerat ſuperimpoſita, cujus adhuc pars jam jam lapſura cadentique aſſimilis supereſt, exeſum hunc lapidem, quem legere multos fruſtra conatos fuiſſe ab accolis tunc audivi, ipſe diligentiori ſtudio adhibito legi in hæc verba:

IMP. CAESAR
DIVI NERVAE F.
NERVA
TRAIANVS
AVGVSTVS
GERMANICVS
PONTIFEX
MAXIMVS
TRIBVNITIAE
POTESTATIS III. COS III
PATER PATRIAE
REFECIT.

Ac paullulum progreſſus lapideam columnam vidi, in qua ſignum milliarii ab Urbe XXXIX. inſculptum erat, legique in ea verba:

IMP. CAESAR
NERVA AVG. GERM.
PONTIF. MAX. TRIB.
POTEST. III. COS. IIII. P. P.
SVA PECVNIA CONST.

IMP.

IMP. CAESAR
NERVA DIVI NER.
F. TRAIANVS AVG.
GERM. PONTIF. MAX.
TRIB. POT. III. COS. III.
P. P. CONSTR. CVRAVIT.
XXXVIIII.

Ubi notandum, quod Trajanus Imperator more majorum de anteceſſoris Imperatoris, Nervæ ſcilicet, a quo adoptatus fuerat, nomine *Nerva* ipſe quoque appellatus eſt. Ipſiuſque Cocceji Nervæ patris ſui conſilium ad exitum perduxit. Unde milliarii lapides Coccejum quidem Nervam ſua pecunia viam conſtruxiſſe, Trajanum vero conſtruendam curaſſe, nos docent. Ex quo factum eſt, ut Appia via, *via* quoque *Trajana* aliquando dicta fuerit; & percuſſi nummi, in quorum poſtica parte ſedens mulier ſupra diſjecta ſaxa cernitur manum rotæ imponens cum literis: VIA TRAIANA. Porro & alteram ex his milliariis columnis vidi in qua eædem Imperatorum inſcriptiones erant cum hac quadrageſimi ab Urbe milliarii nota XL.; aliæque Tarracinam verſus his ſimiles tres quatuorve ſuperſunt; reliquis omnino dirutis ac deletis. Quas autem ego vidi jacentes, altitudinis erant humana majoris, craſſitudinis vero quantum eximiorum lacertorum vir complecti poſſet. Ceterum & Julianum ipſum oppidulum, quod nunc Salviati Ducis in ditione eſt, tertio a Velitris lapide, Juliæ gentis villam fuiſſe ſunt qui tradant. Quamquam autem oppidulum ſatis recens exſtructum conſtet; id non negem nomini dandum, quod ibidem locus villæ Juliorum fuerit. Gens enim Octavia, ex

qua

qua Auguſtus, Julia poſtea ob Julii Cæſaris Dictatoris memoriam dicta eſt. Maternam vero villam Augusti in ea Veliterni agri parte a Velitris mille paſſibus Romam verſus, quæ *Sanctus Cæſarius* dicitur, fuiſſe incerta vagatur fama. Villam quoque C. Marii ſepties Conſulis in Veliterno exſtitiſſe, prædii nomen quod *Piazza Mara* nunc dicitur, tamquam *Platea Marii*, aliquibus ſignificare videtur. Denique *Ariani* & *Priſciani* loca, tamquam *Ara Jani*, & *Priſci Jani* templa ibidem fuerint, de nominibus nonnulli conjecturam facere non imprudentem arbitrati ſunt. Quibus neque aſſentiar omnino, neque diſſentiam; cum in neutram partem teſtimonia ſuperſint. Locus quidem eſt tertio a Velitris milliario Antium petentibus in diverticulo antiquæ Appiæ viæ, ubi nunc fundus eſt Auguſtinianorum Patrum, qui ad Sanctæ Mariæ in Hortis juxta Velitras degunt, quem *Centum Columnas* vulgus appellat, ibique ſubſtructiones multæ antraque camerata viſuntur tectorio adhuc opere incruſtata, quæ ad aquas certe cogendas in balnearum uſum inſerviſſe ſpectantibus videntur. Inde uſque ad Turrim, quam *Civitaniam* incolæ dicunt, octava circiter milliarii parte diſtantem, antiquæ viæ lapidibus ſtratæ veſtigia apparent. Turris vero muris per circuitum cingitur, non illis quidem vel Romanæ Reipublicæ, vel Romanorum Imperatorum ſæcula ſtructuræ genere referentibus omnino; verum poſterioribus quidem temporibus ædificatis, ita tamen, ut ex fundamentis reticulato opere conſtructis, vetuſtiſſimo ædificio adjunctos fuiſſe ſatis conſtet. Horum omnium imaginem ſedulo inde deductam hic appoſuimus. Hujuſmodi autem ſubſtructiones, ſive fornices, ſive antra, ſive cryptas appellare mavis, paſſim, quod monui nuper, in toto

agro Veliterno supersunt. Quin & intra urbem aliquæ; præcipue vero summa oppidi parte ingens, quam vocant *Catilinarum*, a Veliterna hujus nominis gente, in cujus est ædibus, vocabulo derivato. Nunc aliquot inscriptos lapides a me lectos & Velitris quidem in urbe nunc exstantes, ceterum e Veliterno agro asportatos, ubi eruti fuerant, ob oculos ponam. Primum quidem atque alterum in Ginettorum ædibus magnificentissimis, quas Martius Ginettus Cardinalis gestarum rerum fama celebratissimus Velitris in patria excitavit, legere est. Ibi enim in sepulcrali marmorea urna, cujus una cum aliis eodem loco asservatis vetustis aliquot monumentis imaginem diligenter expressam hic apponendam curavi, hæc leguntur:

CLODIA LVPER
CILLA IN PACE
BENE DORMIT QVE
VICXIT ANNIS XXVIII
M. VII. DIES VIII. MECVM
AN. VIII. M. VIII. D. XVIIII
AVR TIMOTHEVS
COIVG B.M.

Christianam hanc feminam fuisse existimo ex eo ductus quod *in pace bene dormire* dicatur. quæ Christianorum trita est in sepulcralibus inscriptionibus locutio. ex eo item quod eæ literæ D. M. nempe *Diis Manibus*, hic desiderentur. Ceterum arcæ insculpta historia profana nihilominus esse posset; quod est in incerto. Nam alias sæpe marmoreas urnas sive arcas vidimus, quæ cum prius in profanorum usum deorum, vanarumque fabularum imaginibus ornatæ fuissent,

ſent, a Chriſtianis exinde inventæ in ſuorum tumulandis cineribus, paucis vel nullis etiam mutatis, adhibitæ ſunt. quod, ut reliqua omnia ſileam, ſatis conſtat factum fuiſſe in Conſtantiæ Virginis ſanctiſſimæ ab impiis pro Religione peremtæ tumulando corpore via Nomentana , primo ab Urbe lapide , juxta Divæ Agnetis . Ibi enim intra vetuſtum profanum templum orbiculatæ figuræ , quod alii Baccho , alii Soli dicatum fuiſſe memorant, in ſepulcro purpurei marmoris, quod *porphyreticum* Græci appellant, magnæ molis, cui Bacchi imagines cum pampinis, uvis, atque hederis ſunt inſculptæ , conditum fuiſſe memoratæ Chriſtianæ Virginis Conſtantiæ antiquitus pretioſum cadaver accepimus. quod deinde una cum aliis Sanctorum reliquiis ſub ſacro ejuſdem templi ab omni jam ſuperſtitione purgati altari repoſitum fuit. Sepulcrum autem illud nunc quoque magna cum advenarum admiratione viſitur, & *Bacchi ſepulcrum* ſtultum vulgus appellat.

Lapis alter in Ginettorum ædibus a me lectus hæc habet:

D. M.
VLPIAE POM
PEIAE CONIVGI
KARISSIMAE B--
NE MEREN-- -- -- -- --
C. MOD-- -- -- -- -- -- --

Huic lapidi a tergo mulieris caput inſculptum eſt; quam ipſam Ulpiam Pompejam eſſe putavimus. In ædibus vero Joſephi Toruzzii Patricii Veliterni fragmentum literis deteriora ſæcula indicantibus inſcriptum legi in hæc verba:

-- -- -- -- -- -- --
-- -- -- -- -- -- --
COM
MATRI DVL
CISSIMAE
PRIMVS ET
ARTEMIDO
RVS FILI FE
CERVNT

Et in ædibus Veliternæ Curiæ fragmentum aliud tale:

-- -- -- -- -- -- -- -- --
A CVBICVLO PROC--------
A FRVM. ACCENSVS PATRON----
ET SIBI CLAVDIAE A--------
CLAVDIA MATICILLA E-------
POSTERIS EORVM. P. IN FRONTE--
-- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- --

In alia quoque domo parvæ urnæ inſcriptum:

D. M.
AEMILIAE SECVNDAE

Et in finibus agri antiquitus Veliterni:

D. M.
TI. CLAVDIO
THEOPOMPO
CLAVDIA IAS
CONIVGI BE
NEMERENTI
FECIT

Dua-

Duabus etiam teſtis ſive tegulis ingentibus tegendo cineri vel cadaveri effictis hæc impreſſa verba. Alteri quidem:

EX FIGLIN. VICCIAN.
RVTILIAE L. F. OCRATI

Alteri vero:

STAT. MARCIVS
DEMETRIVS FEC.

Scilicet: *Ex figlina Vicciana hæ teſtæ* ſive *tegulæ productæ ſunt, conteguntque cadaver Rutiliæ Lucii filiæ Ocratis. Has autem tegulas effinxit Marcius Demetrius, qui idem figulus erat & ſtatuarius*. Denique in ædibus Benigni Georgii Veliterni Patricii eleganter inſcriptum vetuſtum lapidem vidi, quem ille a ſe in prædio ſuo Veliterni agri, loco qui *Falconis collis* dicitur, repertum narravit. In eo legitur:

T. FLAVIVS PHILIPPVS SIBI ET
FLAVIAE CAENIDI CONIVGI LOCO DON
OLLAR IIII ABALEIA FELICVLA ITVM
ADITVM AMBIT
VSTRINAE SACRIFICI CAVSA

Hic immorari nonnihil juvat. Itaque Titus Flavius Philippus ſepulcrum hoc ſibi & Flaviæ Cænidi conjugi ſuæ conſtruxit locumque ollarum quatuor capacem ſepulcro eidem donavit. nam intra ollas exuſtis cadaveribus reliquos cineres claudere moris erat. Quatuor itaque ollarum locus, corporum quatuor tumulandorum locus erat. Porro Abaleja quædam Feli-

cula

cula vel consanguinea vel liberta vel certe amica, sepulcri hujus spatium adauxit, & circa ipsum ustrinam fecit. Erat autem *ustrina* locus ubi cadavera urebantur. Itaque Abaleja non tantum ustrinam facere contenta fuit; verum etiam *itum*, nempe iter, ad illam aperuit; *aditum*, scilicet ingressum ipsum ac introitum, exstruxit; & *ambitum*, nempe circuitum ipsum circa sepulcrum ædificavit, muris scilicet sua pecunia circumductis. Atque hoc totum iccirco se fecisse testari voluit, ut spatium amplum ad sacrificium Manibus Philippi & Cænidis conjugum, quoties opus foret, peragendum haberet.

Vetustis Veliternorum monumentis hactenus recitatis unum hic addo, quod inter veterum Latinorum poetarum fragmenta invenitur. Est autem Sexti Turpilii poetæ, qui P. Terentio Afro æqualis fuit, fragmentum Comoediæ, cui titulus *Veliterna*. Sunt autem hi tres versus tantum:

13. pag. 473. edit. Aurel. Allobrog.

Ducit me secum: postquam ad ædem venimus,
Veneratur Deos. Interea aspexit virginem
Gestantem in capite riculam indutam ostrinam.

Ex his tam antiqui poetæ verbis mos quidam apud Veliternas mulieres tegendi capitis antiquissimus ferme ad ætatem usque nostram adhibitus describi videtur. siquidem *ricula*, quam a virgine in capite gestari dixit Turpilius in Veliterna sua Comoedia, est 14. *parva rica*; tegumentum scilicet capitis, quod & *ricinium* dictum est a Marco Tullio 15. eo quod pallium breve muliebre esset, quod a capite in humeros *rejiceretur*. Pallium vero hujusmodi purpureum quidem, sed viola deinde suffusum Veliternæ mulieres ab antiquissimis temporibus gestare consuevere, illudque vix triginta ab hinc annis easdem deposuisse Veliterni cives nobis testa-

14. Var. lib. 4. de Ling. Lat. & Fest. de verb. signific.

15. Cic. de Leg. c. 23.

testati sunt. Unde & antiquitatis apud illos venerabilis auctoritas quanta fuerit, satis apparet.

CAPUT VI.

De quibusdam Veliternorum Magistratibus & Collegiis.



RAETER ea quæ de Veliternorum Magistratibus capite hujus libri secundo attigimus, pauca hic dicenda supersunt, quæ ex antiquis inscriptis lapidibus eruta examinanda se offerunt. In Coloniis quidem Romanis rerum summa apud Decuriones fuit; illorumque erat de civium caussis cognoscere, utpote qui summus essent Coloniarum magistratus. De illis fuse egimus, cum de Antiatum administranda Republica 1. loqueremur. Eumdem apud Veliternos quoque Reipublicæ gerendæ ordinem constitutum minime dubitandum. Certe in eo lapide quem supra retuli, de Veliterni Amphitheatri restitutore Lolcirio; quod Curiæ princeps fuerit simul cum Lolcirio avo & Claudio proavo, luculentum testimonium habemus. Senatus enim in Coloniis *Curia* & Senatores *Decuriones* appellati. Dubium tamen aliquod creat inscripti cujusdam lapidis vestigium in colle Martio, qui Veliterni agri pars est, detectum, quodque in Ginettorum hortis Veliternis nunc situm nuper legimus cum literis: 2.

1. *Vulp. Vet. Lat. l. 4. c. 8.*

2. *Teul. de Velit.*

Q. POM. MVSAE COS.

Quinto Pompejo, sive *Pomponio*, *Musæ Consuli*. Num iste Veliternorum consul fuit, ac proinde Veliterna Colonia consules suos peculiares habuisse dicenda est? Certe in Latinis urbibus consules aliquando magistra-

tus

tus obiisse legimus. Tusculi quidem inscriptum lapidem & legi ipse, & ibidem in antiquæ excisæ urbis ruderibus effossum audivi, qui de consule quodam Tusculanorum mentionem faciebat. An Pompejus iste, sive Pomponius, Musa, Romanus aliquis Consul fuit? Proximum hoc veritati. Trunca tamen illa elementa non satis stabilem in sententia pedem figere permittunt. Duumviri sane Decurionum Velitris magistratum gessere. Testis parva columna, quæ adhuc Velitris apud Gregnos Veliternos Patricios legitur sic inscripta: 3.

3. Borg. l. 1. de Velit.

M. OTASIVS
FIRMVS MARVS
CORNELIVS MARI F.
CIV. COSSINVS
PRAEFECTVS FABRVM
TRIBVNVS MILITVM
LEG: XIIII GEMINAI CIRC
CVRATOR LVSVS IVVEN
IIVIR PATRONVS COLON
FORTVNIS ANTIATIBVS
D D.

Memoratur hic Cornelius Marus Coloniæ Veliternæ Duumvir Decurionum; idemque civis Cossinus dicitur. quod & Velitris, & in ceteris Latii urbibus, immo etiam Romæ a primis usque temporibus mos obtinuisset, aliarum civitatum cives ad magistratus obeundos advocare. Cum enim alicujus urbis populus mutuis inter se discordiis dissideret; præsentissimum semper ad eas componendas consilium est visum, externum aliquem virum ceteroqui probum & callentem Rempublicam, qui nullo partium studio

tene-

teneretur, imperio præficere. Itaque Romæ sub ipsa fere Urbis exordia regno auctus est Pompilius ille Numa, 4. qui Curibus parvis & paupere terra missus est in imperium magnum; & Lucumo vir impiger 5. ab Tarquiniis Etruriæ oppido profectus, quintus Romanorum pariter Rex est factus, Tarquiniusque Priscus de patriæ nomine appellatus. Hunc vero morem Italiæ urbes ad unam omnes per ea maxime tempora secutæ sunt, quibus Romani imperii majestate jam dilapsa, tæterrimæ seditiones inter conterminos cives *Guelforum* & *Ghibellinorum*, quos appellabant, factionibus concitatæ exardescerent. Tunc enimvero externum civem unaquæque urbs sibi, quem magistratui supremo obeundo præficeret, destinabat, & *Potestatem* opportuno vocabulo nominabat. Ceterum Cornelius hic Marus, de quo Veliternus lapis, Cossinus civis fuit, nempe ex urbe Cossa, quæ fuit in Etruria, nunc autem excisa; verum de cujus ruinis oppidum, quod nunc *Alsidonia* dicitur, auctum est. Notandum illud quoque in allato lapide; quod Cornelius Circi & Lusus juvenum curator inscribitur. Ex quibus Circum, ubi Circenses ludi haberentur, & Palæstram, in qua luctaretur Veliterna juventus, Velitris quoque, ut in omnibus ferme Latii urbibus paullo cultioribus, fuisse, satis constat. Quod autem Fortunis Antiatibus dedicatum fuerit hoc monumentum, Fortunarum earumdem celebritatem & famam ostendit. cum non modo Antii, qua in urbe templo magnificentissime exstructo colebantur, verum etiam in aliis finitimis urbibus, inscriptionibus & titulis ornarentur. De Duumviris meminit & alia inscripta columna, sive basis Velitris apud *Fratres Minores* reperta novissime, anno scilicet Reparati Orbis supra septin-

4. *Virg. l.* 6.
5. *Liv. l.* 1.

gentesimum quintum millesimo, quam legimus in hæc verba: 6.

6. Borg. de Velit. l. 1.

Q. GRAIO Q. F.
QVIRIAMO
PRAEF FABR:
II VIR ET
VOLVSIAE MAXIMAE
CVRA ATTICI LIB.

Statuam Q. Graji olim sustentasse videtur hæc basis, quam patroni sui sepulcro apponi curavit Atticus ejus libertus. Præterea utraque hæc columna nos docet, Velitris Fabrorum, sive *Fabrum*, ut est fere semper in antiquis lapidibus, Collegium fuisse. Siquidem in earum altera M. Otasius, in altera vero Quintus Grajus Fabrum præfectus fuisse memoratur. Collegium autem hujusmodi quoscumque artifices, qui auro, argento, ære, ligno etiam & lapide, fabrilia opera exercerent, colligebat. Quamquam Fabri aliqui separatum aliquando a ceteris Collegium habuere. immo singuli Collegia singula quandoque habuisse leguntur, in urbibus præcipue populosis, quibusque artes vigerent. Certe & Velitris Fabris Tignariis, qui tectis nempe conficiendis sarciendisque exercerentur, tignisque, a quibus Tignariorum nomen deductum, h. e. trabibus operirent, Collegium fuit. Quod lapis apud Michelettos Veliternos cives superstes ostendit: 7.

7. Borg. de Velit. l. 1.

VARRONIVS NICIA-- -- -- -- --
MAG. QVINQ. CONLEG. FAB-- -- -- --
TIGNARIORVM LVST-- -- -- -- -- --
VIXIT ANNO-- XCIII.

scili-

ſcilicet *Varronius Nicianus magiſter Quinquennalis Collegium Fabrorum*, ſive *Fabrum*, *Tignariorum luſtravit*. *Vixit annos nonaginta tres*. Ideo autem magiſter Quinquennalis dicitur Varronius, quod per quinquennium Fabrum Collegio præfuiſſet; unde & illud luſtraſſe inſcribitur. Quemadmodum enim apud Græcos per olympiadas annorum numerum computare mos fuit; ita apud Latinos per luſtra. Olympiades tamen quatuor annorum ſpatium, at luſtra quinque annorum tempus comprehenderunt. Quamquam poſt quatuor quoſque annos, quintum *luſtrum* vocatum quidam dicant: quod in idem ferme recidit atque id quod alii ſingula quinquennia *luſtrum* appellata ſcripſerunt. Ceterum, luſtrum certa quædam erant ſacrificia, quibus purgari rem aliquam putabant veteres, deoſque ſuos ob elapſi quinquennii negligentiam in eorum cultu a populo adhibitam, ſe placare putabant. Luſtrabantur autem omnia: Urbs præcipue per ſupremos magiſtratus, qui eam intrinſecus & forinſecus circa pomœrium circumibant, ſuemque, ovem, ac taurum ſacrificabant, quod ſacrificium *ſuovetaurile* Livius 8. appellavit. Luſtrabantur etiam agri, quod inter ceteros Virgilius 9. memorat, & *Ambarvale* ab ambiendis arvis ſacrificium dictum eſt, illudque elegantiſſime 10. Tibullus deſcripſit. Ceterum *luſtrare*, etiam *recenſere*, *inſpicere*, *diligenter curare* ſignificavit. qua acceptione Varronius noſter Veliternorum Tignariorum Fabrum Collegium luſtraſſe crediderim. Collegii ſcilicet leges & inſtituta recenſuit, inſpexit, deſuetudine abolita reſtituit; edicto ne violarentur, cavit; aliaque hujuſmodi permulta proſpexit. Non negaverim his omnibus ſacrificio aliquo colophonem veluti impoſuiſſe. Ceterum, luſtrum ab Trojanis Latinos Roma-

8. *Dec.* 1. *l.* 1.

9. *Georgic. l.* 1. *v.* 345.

10. *Tibul. Eleg.* 1. *l.* 2.

nosque accepisse, inter alia multa Senecæ testimonio colligitur. Hic enim Andromachen filii sui de turri jam jam juxta Calchantis vatis crudele oraculum præcipitandi immaturum nimis funus insolabiliter deplorantem inducens, Trojani lustri, quod urbem circumequitando, victimas sacrificando, ceterasque sacras cæremonias obeundo fieret, his versibus meminit: 11.

11. Troad. Act. 3. Sc. 2.

Non Graja cædes terga, non Pyrrhum trahes,
Non arma tenera parva tractabis manu;
Sparsasque passim saltibus latis feras
Audax sequeris; nec stato lustri die
Solenne referens Troici lustri sacrum
Puer citatas nobilis turmas ages:
Non inter aras mobili velox pede,
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles.

Non vereor autem quod alicui, dummodo literis aliquatenus tincto, negotium facessat Varronii allata inscriptio, eo quod habeat: CONLEG. FAB. non vero sic: COLLEG. FAB. Utraque enim scribendi ratione veteres usos in nummis & lapidibus passim videmus. Ego vero *collegium* magis, quam *conlegium* usurpare malui; quod suavius aliquanto *collegium* auribus sonare mihi visum est. Augurum pariter Collegium Velitris fuisse antiquus lapis nunc quoque ibidem ad Prætorium prostans ostendit. Exhibet enim C. quemdam Malgium augurem his notis:

D. M.
C. IVLI MALGII BELETRANI AVG. AELIA IVLIA QIVX ET HAEREDES HVIVS B. M. P.

nem-

nempe: *Diis Manibus Caji Julii Malgii Beletrani Auguris. Aelia Julia conjux & heredes benemerenti posuerunt.* quamquam vox illa *Beletrani*, deteriorum sæculorum inscriptionem hanc esse prodat. Latini enim, ut ab hujus libri exordio notatum est, *Veliternos* dixerunt, & *Veliterninos*, non autem *Beletranos*, Velitrarum cives & incolas. Barbaris postmodum omnia corrumpentibus, & *Beletrani*, & alia corrupta vocabula, quæ hujus loci recensere non est, in Latinum sermonem invecta sunt. Quod vero ad Augurum Collegium attinet; fuit id nobilissimum, atque altioris multo ordinis, quam fabrum collegia. Nobilissimus enim quisque suæ civitatis in Augurum Collegium cooptabatur. Auctoritate etiam plurimum pollebat. Cum enim profani illi homines Deorum superstitioso cultui addictissimi, illic 12. timore trepidarent, ubi non erat timor; ne passum quidem movere, nisi augurato atque auspicato ausi sunt. Quicquid proinde Augures responderent, id religiosissime servabant; atque ab illo vel latum ipsum unguem discedere nullis satis hostiis expiandum nefas ducebatur. Nonnisi itaque captato augurio castra movere, cum hostibus manus conserere, immo bellum ipsum indicere fas fuit. Cladesque quas ex hostibus Romani sæpius retulere, vel quod inaugurato, vel (quod audacius multo & impudentius habebatur) quia contra auguria Augurumque responsa commissa esset pugna, eo referebant acceptas. Hinc si seditione Urbs in partes divisa esset, alteriusque partis studiosi quominus aliquid ab adversariis fieret, puta, delectus haberetur, magistratus crearentur, comitia aut hujusmodi cetera fierent, impedire aliter minime possent; ad Augures confugiebant, ut hi in medium prodeuntes augu-

12. Psal. 52. 6.

riorum

riorum malis ominibus, id ne fieret, calamitatum maximarum intentato metu ab iratis ob violata auguria numinibus, ſancte præciperent; reſque in aliud tempus dilata, novis turbis locum concederet. *Augures* autem ab *augurio*, *augurium* ab avium & guſtu ſive guſtatu, & geſtu dicta ſunt. Dum enim guſtabant aves, hoc eſt paſcebantur, eas augures diligenter ſervabant utrum grana diſpergerent, an non: utrum avide, an vero nauſeantes acciperent. Volatus quoque earumdem ſollicite attendebant; utrum ab læva, an ab dextera; utrum directe, an per anfractus gyroſque fieret: ac pro diverſis avium geſtibus auguria læta, vel triſtia proferebant. Extis quoque cæſarum avium & quadrupedum etiam beſtiarum inſpectis, auguria captabant. Si enim exta rubentia, vivida, integra, eximiæ magnitudinis inveniſſent, bonum erat augurium; triſte autem, ſi pallentia, marcentia, mutila reperiſſent. Quam profanorum ridendam ſane ſuperſtitionem merito irridens Sanctus Auguſtinus, 13. *Quomodo*, inquit, *mortuum id animal brutum eventura nuntiaret, quod & vivens numquam fuerat ore prolocutum?* quæ omnia fuſius hic non eſt quod perſequar, cum & ab inſtituto nimis abducerer, & eadem copioſe admodum ab antiquis Scriptoribus, Tullio 14. præſertim, pluribus locis oſtenſa ſint.

13. *De Civit. Dei.*

14. *Tul. de Nat. Deor. de Augur. reſp. & pro Domo.*



CA-

CAPUT VII.

De Gente Octavia Veliterna.



USCEPTI in hoc opere a nobis instituti ratio postulat, ut ad Veliternorum familias quæ Romæ claruerunt, recensendas accedamus. Cum enim vestigia omnia antiquæ Velitrarum urbis totiusque circa agri diligentissime hactenus lustraverimus; eorumque monumenta quæcumque supersunt narratione complexi simus; nunc ad id quod Civitatem ipsam Veliternorum maxime exornat, illustrandum progredimur. Vix autem aliam ex antiquis Veliternis civibus gentem invenias, quæ Romæ claruerit, præter Octaviam. adeo ceterarum memoriam omnem vetustas delevit. Hoc tamen Veliternorum infortunium abunde redimit Gens Octavia; plus illis veræ laudis vel sola tribuens, quam familiæ quamplurimæ ceteroquin illustres, si hanc unam demeres, attribuerent. 1. Itaque Gens Octavia Veliterna ab antiquissimis temporibus ante ipsam Romam conditam fuit. Nomen illi dedisse princeps quidam ejus Gentis dicitur, 2. qui e germanorum fratrum suorum numero octavus ordine genitus, a parentibus Octavii nomine appellatus fuit; & ipse posteris Octaviorum nomen proprium fecit ac gentilitium. Qui mos Romæ postea quamplurimis gentibus sive familiis solemnis fuit. Invenimus enim ab numero illustres viros ac feminas nomen (saltem usque ad decadem) accepisse. Certe (ut ex innumeris pauca quædam exempla delibem) Cajus Plinius *Secundus* dictus est, & Sancti Pauli

1. Sueton. in Aug. c. 1.

2. Anton. Augustin de Famil. Romanor. in Octav.


scriba

ſcriba ſive librarius, qui divinam illam ad Romanos Epiſtolam ſcripſit, *Tertius* dicebatur, quod his ejuſdem Epiſtolæ verbis patet: *Saluto* 3. *vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam*. *Quartus* autem in ſacris Chriſtianorum faſtis inter primos Chriſti aſſeclas computatur, & Tito Livio Patavino Latinorum hiſtoricorum facile principi filia fuit *Quarta* nuncupata, ut ex Patavina inſcriptione adhuc ſuperſtite conſtat. *Quintus* Ciceronis frater, ad quem celeberrimæ Marci ipſius fratris exſtant Epiſtolæ, dictus eſt. *Sextus* Magni Pompeji filius, qui patris aliquamdiu contra Cæſarem partes, licet jam rebus inclinatis & prope perditis, tutatus eſt. *Septimus* vero, ſive *Septimius*, Severus fuit Imperator, cujus triumphalis arcus ad Capitolii radices ſemiſepultus adhuc viſitur. De *Octavo*, Gens *Octavia*, de qua nunc, luculentum eſt teſtimonium. Pro *Nono*, *Nonium* habes illuſtrem Grammaticum. *Decimus* autem Brutus eſt dictus, qui cum aliis conjuratis in Curia Cæſarem interfecit. & *Deciorum* gens, ex qua *Decius* ipſe Imperator, ab numero nomen deſumſit. Poſt decadem autem non ita facile nomen quis a numero mutuatus, invenitur. *Quadrageſimum* quemdam, virum Sanctum faſti ſacri commemorant. Ceterum non omnes quos nominavi, a numero deſumtum nomen pro gentilitio ſive gentis, ex qua eſſent, habuere. Volui nihilominus illos eo ordine recenſere, ut Romanorum morem ab numero nomen deſumendi ob oculos ponerem. Itaque, ut ad inſtitutam Gentis Octaviæ hiſtoriam redeamus; antiquiſſimam hanc Gentem Velitris commorantem, atque inter cives ſuos opibus pollentem & maxime illuſtrem Tarquinius Priſcus 4. Romanorum Rex quintus Romam accivit, & inter Patricias adlegit. Quod Gentis Octaviæ nobilitatem vel primis illis Romana-


rum

3. *Ep. S. Paul. ad Rom. c. ult.*

4. *Sueton. in Octav.*




Antiquae Piscinae Rudera III. pl. m. a Velitris lapide Neptunium uersus, in agro Domus Sanctae Mariae de Horto, iuxta diuerticulum Appiae Viae, uulgo Le Cento Colonne.




Ruderum eorumdem in Orientem Solem Facies.





Antiquae Turris facies una cum pomerij ruderibus III. pl. m. a Veliterna Vrbe lapide in diuerticulo Appiae Viae Neptunium uersus Ciuitania ab incolis appellatae.



Turris eiusdem ac pomerij facies interior, in qua muri pars inferna reticulato opere apparet, superna non item; unde antiquissimo recens aedificiũ inhaesisse colligitur.

Sintes. Sculp.





Tab. VII.



Antiquae Sculpturae Statua, quae extat Velitris In Ædibus Gentis Borgiae Patriciae Veliternae, Et P. Helvij Pertinacis Imp. a nonnullis creditur.



Statua Vetustae Egregiae Sculpturae Antiquum Philosophum repraesentans Velitris, eisdem in aedibus Borgiae Gentis.




Locus in Agro Veliterno tribus milliariis ab Vrbe distans in Meridiem; in fundo Gentis Borgiæ Patriciæ Veliternæ, Sol luna appellatus; ubi Templum Solis et Lunæ olim extitisse alij dicunt: alij uero Oppidulum seu Diuersorium iuxta Appiam Viam Ad Sponsas in antiquis itinerarijs nuncupatum, extructum fuisse memoriæ prodidere.

A. Vestigia ruderũ uetustorum aedificiorum siue Oppiduli siue Templi, quæ adhuc extant.

B. Viæ Appiæ pars, quæ Ariciam ducit, Solem occidentem uersus.

C. Via, quæ ducit Velitras, in Boream. D. Oppidulum in Albanis tumulis Ciuita Lauinia appellatum.

Tab. IX.



Rudera Villae magnificentissimae, quae Imp. M. Saluij Othonis fuisse traditur, prope Velitras Cinthianum uersus in latifundiis olim Toruzziae Gentis Patriciae Veliternae, nunc uero Philipporum pariter Patriciorum sita, uulgo Colle Ottone.

Sintes Sculp.



rum rerum temporibus ſatis oſtendit. Id enim feciſſe Tarquinium crediderim, ut & Veliternorum vires, quas adverſus Romanos validas nimium metuebat, clam imminueret, atque per honoris ſpeciem infringeret, dum illis Octaviorum Gentem, eo ipſo quod illam Romanam fecerat, abſtuliſſet: ipſumque Romanum regnum fortius ac firmius valido ejuſdem Gentis ſibi adjuncto præſidio ſtabiliret. Quamvis autem Gens Octavia inter Romanas familias eaſque Patricias ita cooptata eſſet; Velitras antiquam patriam urbem adeo non deſeruit, ut ad ipſa Auguſti Cæſaris tempora, parte ſui aliqua, ea in urbe permanſerit. Celebritatem vero hujus Gentis in Velitrina urbe vicus ſuperiore oppidi parte *Octavius* dictus 5. deſignat. Vicis enim præſertim celebrioribus, qualem Velitris fuiſſe vicum Octavium memorant, nonniſi nobiliſſimi viri ac inter ſuos principes nomen tribuere ſolent. Quod præter cetera, & Romæ in via Julia, quæ ab Julio Pontifice, & Neapoli in via Toletana, quæ a Toletano Prorege nomen acceperunt, factum videmus. Januæ quoque in urbe opulentiſſima totiuſque Liguriæ principe eademque Republica florentiſſima, celeberrima omniumque nobiliſſima regio eſt, quæ *Balborum vicus*, ab generoſa Balborum Patricia Gente nomen mutuata. Idem enim eſt vicus ac via, ſi de urbe ſermo ſit. Via quidem ſpatium eſt intermedium, quod in urbe ædificiis interjacet, & ad publica civium ultro citroque commeantium itinera conſulto vacuum relictum: vicus eadem eſt via, verum ad latera domibus aliiſve ædificiis munita. Unde extra urbem non jam idem erunt; nec bene quis Appiam viam, aut Latinam, aut aliam quamlibet ex Conſularibus, *vicos* diceret. Bene autem locum aliquem in iiſdem viis, ædificiis

5. *Sueton. in Aug.*

hinc inde munitum, *vicum* appellaret; qualem delicatissimas ac saluberrimas illas Bajas e regione Puteolorum atque in ipso Puteolano sinu, *Bajano* quoque nuncupato, vicum appellavit Horatius: *6.*

6. Epist. 15. l. 1. sub init.

------------------ (*Nam mihi Bajas*
Musa supervacuas Antonius, & tamen illis
Me facit invisum gelida cum perluor unda
Per medium frigus. sane myrteta relinqui,
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni, vicus gemit invidus ægris &c.

Jam vero Gens Octavia, quæ sub Tarquinio Prisco inter Romanas quidem allecta fuerat, verum nullis adhuc honoribus aucta, sed tamquam hospes Romæ morabatur, ab Servio Tullio Rege, qui Prisco successit, inter Patricias est numerata, atque in Senatum inducta. Siquidem hi diutissime nobilitatis quidam veluti gradus Romæ perseverarunt: Hospitis, Coloni, Municipalis, Civis Romani, Equitis, Patricii, Senatorii, Prætorii, Proconsularis, Consularis, ac demum Imperatorii. Verum & seditionibus plebis sæpissime hi gradus turbati sunt; & rerum summa ad Imperatores delata, pro eorum libidine honores omnes collati. Mansit nihilominus semper inter Patricias & plebejas familias discrimen. Quamvis e plebejis quamplurimæ ad omnes honorum gradus ipsumque Consulatum non minus atque Patriciæ evectæ sint: & e Patriciis multæ ad plebem, ut ejus favore uterentur, transire minime dubitarint, ipsosque plebis magistratus obire; quemadmodum tam ingenti malo suo Tiberius & Cajus Gracchi nobilissimi Tribunatum plebis gesserunt. Imaginem quamdam divisionis hujus, Januensis Respublica hac etiam ætate præbet, cum Nobiles Patriciasque familias bifariam distinctas, alias quidem

dem *veteris*, alias *novæ Porticus* nominet. Itaque Gens Octavia Romæ primum hoſpes, dein & inter Patricias, & in Senatum admiſſa, ipſa quoque aliquando ad plebem tranſivit. Manſit autem inter plebejas uſque ad Julii Cæſaris perpetuam illam Dictaturam, cum ab eo inter Patricias rurſus, eo quod ſibi conjuncta eſſet, reſtituta eſt. Ceterum ex ea primus Cajus 7. Octavius Rufus magiſtratum populi ſuffragio cepit. ſiquidem Quæſturam adminiſtravit. Quæſtor autem idem fuit ac Aerarius ſive ærarii cuſtos; ita appellatus, quod quæſtuum ſeu proventuum publicorum, qui fiſco addicebantur, cuſtos eſſet & condus. Hic jam Quæſtorius Cneum & Cajum Octavios liberos procreavit, a quibus duplex Octaviorum familia defluxit, conditione diverſa. Cnei namque poſteri ſummis honoribus omnibus functi ſunt. At vero Cajus Octavius, & deinceps ab eo reliqui uſque ad Augusti Cæſaris patrem, intra equeſtrem ordinem ſive fortuna ſive voluntate permanſere. & Cnei quidem ex poſteris, qui ſummis honoribus aucti fuerint quoſdam Verrius Flaccus 8. commemorat, quos ego quoque poſt Cnei ipſius commemorationem hic breviſſime attingam. Itaque Cneus Octavius Caji Octavii Rufi viri Quæſtorii filius in Macedoniam Pro-prætore miſſus, de Rege Perſeo navali prœlio victo triumphavit. quamquam non adeo ſolemnem eum triumphum, eo quod Pro-prætore tantum Cneus eſſet, exſtitiſſe crediderim. 9. Is biennio poſt cum Tito Manlio Torquato collega Conſul eſt factus. Miſſus deinde Legatus ad Antiochum Syriæ Regem, ut illum ad reſtituendas ſociis populi Romani ablatas res, fœduſque cum Romanis, aut certe bellum habendum adduceret. Porro Cneus hic Octavius Aedilis quoque Curulis, Prætor,

7. *Sueton. in Octav.*

8. *in Fragm.*

9. *Sueton. in Octav.*

& Decemvir ſacris faciundis fuiſſe legitur. Porticum autem Octaviam Theatro Pompeji proximam ipſum ædificaſſe, ab quibuſdam traditum eſt. Quam combuſtam reſtituit Auguſtus, fuitque hujus nominis prima. Siquidem 10. porticus Octavia altera celeberrima atque ornatiſſima ab Auguſto Cæſare exſtructa fuit in honorem ſororis Octaviæ, Marcelli illius matris de quo Virgilius. Alter vero Cn. Octavius cum T. Annio Luſco Conſulatum geſſit. Tertius ejuſdem prænominis Octavius cum L. Cinna Conſul collegæ infelicem exitum ipſe quoque miſerando fine ſecutus eſt. Coactus enim cum collega abdicare, quod Cinnanæ factionis fuiſſet, miſere interfectus eſt. Quartus quoque Cneus Octavius cum C. Scribonio Curione Conſulatum geſſit. Poſtremus denique L. Octavius cum C. Aurelio Cotta Conſul fuit. Cneum etiam quemdam Octavium memorat Livius ex Aedili plebis Prætorem Sardiniam obtinuiſſe. Et ejuſdem nominis alium jam Conſularem Laodiceæ in Syria, dum ibi legationis princeps eſſet, interfectum ſummopere commendat Tullius. Quamquam Cneus Octavius hic eſt qui primus in hanc familiam Conſulatus honorem invexit. Libet ipſa Tullii verba in medium afferre: 11. *Cn. Octavii, clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quæ poſtea viris fortiſſimis floruit, attulit Conſulatum, ſtatuam videmus in roſtris. nemo enim tum novitati invidebat; nemo virtutem non honorabat. At ea fuit legatio Octavii in qua periculi ſuſpicio non ſubeſſet. Nam cum eſſet miſſus a Senatu ad animos Regum perſpiciendos, liberorumque populorum; maximeque ut nepotem Antiochi Regis, ejus qui cum majoribus noſtris bellum geſſerat, claſſes habere, elephantos alere prohiberet; Laodiceæ in gymnaſio a quodam Leptine eſt interfectus. Reddita eſt ei tum a majoribus ſtatua pro*

10. *Id. ibid.*

11. *Cic. Philippica 9. ſtatim ab exordio.*

pro vita, quæ multos per annos progeniem ejus honestaret; nunc ad tantæ familiæ memoriam sola restaret. Atque & huic & Tullo Clivio, & L. Roscio, & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui a Vejentium Rege (Larte Tolumnio) *cæsi sunt, non sanguis, qui est profusus in morte, sed ipsa mors, ob Rempublicam obita honori fuit.* Cneum hunc Octavium in legatione interfectum veluti alium a Cneo Octavio Rufi filio, qui ad Antiochum Syriæ Regem Legatus est missus nonnulli videntur agnoscere. Perperam tamen, cum idem omnino sit Cneus Octavius; quod ex Tullii verbis satis constat. Ait enim quod primus hic in familiam suam Octaviam attulit Consulatum; quod Cneo Octavio Rufi filio congruit. Rursum ait Cicero, quod nemo tum novitati invidebat, nemo virtutem non honorabat; innuens, Cneum hunc Octavium in legatione interfectum novum hominem fuisse, nec a majorum titulis honoribusve insignem; quod pariter Cneo Octavio Rufi Quæstorii viri filio optime convenit. Rufus enim, ut antea diximus, ejus pater primus in sua familia ab Regibus ex urbe Veliterna Romam accita Quæsturæ honore auctus est. Ceterum ad Cnei hujus Octavii posteros universamque familiam illustrandam hoc Tullii luculentissimum testimonium satis esto; *quod viris fortissimis floruerit.* Nunc ad Cajum Octavium alterum Octavii Rufi filium, ejusque posteros descendamus. Is una cum sua Gente in equestri ordine mansit. unde & posterorum ejus usque ad Octavium Augusti Cæsaris proavum nulla gestarum rerum monumenta superfuerunt. Octavius autem Augusti Cæsaris proavus bello Punico secundo stipendia in Sicilia militum Tribunus fecit, Aemilio Paulo Imperatore. 12. Avus vero Augusti municipalibus magistratibus contentus abundante patrimonio tranquillissime se-

12. *Sueton. in Octav.*

me ſenuit. Octavius pater a principio ætatis & re & æſtimatione magna fuit. Amplis enim innutritus opibus honores & adeptus eſt facile & egregie adminiſtravit. Præturam itaque tanta cum laude geſſit, ut ex ea Macedoniam provinciam ſortitus ſit, ad quam dum ſeſe comparat, extra ordinem ſibi in Senatu negotio dato, ut reſiduam fugitivorum qui duce Spartaco, conjuratorumque qui Catilina duce, Rempublicam turbaverant, manum conficeret; eos omnes Thurinum agrum in Calabria tenentes internecione delevit. quod & Auguſto filio *Thurini* nomen imponendi occaſionem dedit. Provinciæ autem præfuit non minore juſtitia quam fortitudine. Beſſis enim ac Thracibus bellicoſiſſimis ceteroquin populis ac maxime barbaris magno prœlio fuſis, in ſocios humaniſſimum ſeſe præbuit; adeo ut in æquitatis ac humanitatis exemplum ad populo Romano ſocios demerendos a Marco Tullio adduci meritus ſit. Hic 13. enim ad Quintum Fratrem ſcribens, qui eodem tempore fama parum ſecunda Aſiæ Proconſulatum adminiſtrabat, eum ut in promerendis ſociis vicinum ſuum Octavium imitetur, hortatur & monet. Macedonia decedens Octavius, dum ſeſe ad Conſulatus petitionem comparat; priuſquam ſe candidatum profiteretur, exſtinctus eſt. Minores cum laude magiſtratus obierat; nam, præter Præturam & Proconſulatum quos dixi, fuit quoque Tribunus militum bis, Quæſtor, Aedilis plebis cum C. Toranio, Judex etiam quæſtionum, & in exercitu Imperator. Quæ omnia vetus ejus inſcriptio apud Gruterum in hæc verba complexa eſt: 14.

13. *Cic. Ep. ad Q. Fratr.*

14. *Gruter. in Inſcript. Aug. & Anton. Auguſtin. in Dialog.*

C. OCTAVIVS C. F. C. N. C. PR
PATER AVGVSTI

TR.

TR. MIL. BISQ. AED. PL. CVM
C. TORANIO IVDEX QVAESTIONVM
PR. PRO COS. IMPERATOR APPELLATVS
EX PROVINCIA MACEDONIA.

Diem obiit Nolæ in Campania in eodem cubiculo in quo poſtea Auguſtus filius repentino fato conceſſit. Duas habuit ſibi ſuccedentes uxores, Anchariam alteram, ex qua Octaviam majorem ſuſcepit; alteram vero Atiam, ex qua Auguſtum & Octaviam minorem procreavit; quos liberos ſuperſtites ſibi reliquit. Jam vero antequam de Octavio Auguſto, quem deinceps abſque addito Auguſtum dicam, deque ejus natali ſolo edifferam, circa ipſius parentes tantiſper immorabor. Et fuere ii quidem non tantum nobiles, verum & generoſi, & magnis honoribus aucti; ſed quia in Auguſti maximam potentiam florentiſſimamque fortunam maxima, ut ferme fit, excitata fuit invidia; obtrectatores illi non defuere, qui tamquam humili eum loco natum & obſcuris admodum ortum parentibus ſuggillarent. Marcus Antonius Triumvirorum unus, (cui adverſus Auguſtum extremæ fuerunt & capitales inimicitiæ, ut ultima eos divideret mors, quam ſuperatus ille ab Auguſto propria manu ſibi in Aegypto conſcivit) generis 15. obſcuritatem Auguſto ipſi exprobravit; ejuſque patrem, immo & avum, Velitris argentariam feciſſe. Quin etiam cum Auguſtus quoſdam proſcripſiſſet e præcipuis Romanis civibus, quibus ſigna & vaſa Corinthia eximiæ cælaturæ ingenti copia erant; eorumque bona fiſco addixiſſet; tamquam id Corinthiorum cupidine feciſſet, quibus maxime delectabatur, dicterio

15. *Sueton. in Octav.*

rio notatus eſt, quo pariter ut argentario patre natus ſuggillabatur. Ajebant enim:

PATER ARGENTARIVS. EGO CORINTHIARIVS.

At de patre quidem falſum id omnino crediderim; cum ferme ab adoleſcentia ſtipendia fecerit militiam ſecutus, & a principio ætatis & re & æſtimatione magna fuerit. de avo quidem incerta res eſt. Marcus Antonius altius adhuc Auguſti generi dentem infigere auſus, proavum ipſius libertinum & reſtionem, ſcilicet funarium, ex pago Thurino fuiſſe commentus eſt. quod falſum omnino ob Gentis Octaviæ Velitris antiquitatem dicendum. Certe Auguſti proavum bello Punico ſecundo Tribunum militum in Sicilia fuiſſe paullo ſuperius commemoravimus. Dictus quidem fuit Auguſtus cum adhuc eſſet puer, *Thurinus*, eo quod eodem ferme tempore natus erat, quo pater ejus Octavius in agro Thurino reſiduam Spartaci & Catilinæ manum ſtrenue deleverat. Quemadmodum & Aſinius Pollio nato filio poſt Salonas Dalmatiæ urbem captas *Salonino* nomen impoſuit, cui Virgilius
16. *Virg. Eclog.* 4. Ecloga illa cujus initium: 16.

Sicelides Muſæ, paullo majora canamus,

gratulatus eſt. Itaque exprobranti Antonio, & *Thurini* nomen in os ingerenti repoſuit Auguſtus, mirari ſe, ab eo per contemtum & veluti probrum, nomen prius quo infans vocatus fuerat, objici ſibi. Ita autem Auguſtum puerum cognominatum, & illud quod Suetonius narrat certo argumento eſt; inventam ſcilicet ab ſe æream Auguſti pueri imagunculam veterem ferreis ac pæne jam exoleſcentibus literis hoc nomine inſcriptam. Materno autem genere illuſtri pariter fuit Auguſtus: quamquam & illud allatrare

trare non ceſſarit Antonius, maternamque Auguſti originem deſpiciens, proavum ejus Afri generis fuiſſe, & modo unguentariam tabernam, modo piſtrinum Ariciæ exercuiſſe, calumniatus ſit. Caſſius vero Parmenſis dicaciſſimus poeta, quadam epiſtola, non tantum ut piſtoris, ſed etiam ut nummularii nepotem, ſic taxat Auguſtum: *Materna tibi farina. ſiquidem ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino hanc pinſit manibus collybo decoloratis Nemorenſis menſarius.* quæ ne legentibus negotium faceſſant, aliquantulum illuſtrabo. Caſſius itaque Parmenſis ob partium ſtudia infenſus Auguſto, hæc illi objecit ea confidentia qua in Julium Cæſarem, cujus adoptivus filius erat Auguſtus, antea jam deſævierat. fuiſſe enim & hunc Caſſium inter Cæſaris percuſſores memorant. Cum itaque Auguſtus matrem Atiam haberet Cæſaris ſororis filiam & M. Atii Balbi Aricini; hinc Caſſius illum Julii Cæſaris partes ſecutum atque acerrime defendentem, maternam farinam præ manibus habere exprobravit, cum materno genere Julium Cæſarem attingeret. Allegoriam vero perſecutus, hanc farinam ab materno Auguſti avo Balbo Aricino ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino piſtam, pinſam, ſive pinſitam dixit: ſcilicet Balbum Aricinum Auguſti maternum avum, quod Cæſaris ſororem in uxorem duxiſſet, Auguſto cauſſam cur tantopere Julii Cæſaris partes tutaretur, fuiſſe. Quod vero ait Caſſius, *Farinam hanc pinſiſſe manibus collybo decoloratis Nemorenſem menſarium*, innuit amarulento convicio, Auguſti maternum avum menſarium, ſive nummularium, manus in vili numerandæ pecuniæ exercitatione decoloratas habuiſſe, ac proinde obſcuriſſimo Auguſtum materno genere ortum. Eſt enim *collybus* græca vox κόλλυβος, & permutationem

M pecu-

pecuniæ significat. Barbari *cambium* dixere. *Nemorensem* autem icсirco Augusti maternum avum Cassius appellat, ut illi obscuriorem originem appingat. *Nemus* enim Dianæ oppidulum fuit prope Ariciam urbem, quod nunc *Nemi* dicunt. Unde & ii Suetonii libri emendandi sunt in quibus pro *Nemorensis*, legitur *Nerulonensis*, sive *Verulonensis*, aut *Vetulonensis*. siquidem amandandæ sunt omnino lectiones atque origines hujusmodi longe nimis petitæ, cum genuina & omnino consentanea reliquæ sententiæ, lectio quam sequimur, plane præsto sit. Ceterum amarulenta hæc convicia caro steterunt Parmensi Cassio; illum namque Augustus tamquam unum e percussoribus Cæsaris supplicio affici jussit. Egregium tamen poetam fuisse, hoc Horatii testimonio liquet in Epistola ad Albium Tibullum, Elegiarum illum poetam celebratissimum, & inter Latinos facile principem: 17.

17. Hor. Ep. 4. l. 1.

Albi nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassj Parmensis opuscula vincat?
An &c.

Hunc Cassium alium ab eo cujus ingenium rapido ferventius amni fuisse Horatius idem meminit, diversa utriusque patria ostendit. Alterum enim Etruscum, Parmensem alterum auctor idem nominat: 18.

18. Satyr. 10. l. 1.

--------- at si quis pedibus quid claudere senis
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cœnatus: Etrusci
Quale fuit Cassj rapido ferventius amni
Ingenium; capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis.

adeo ingens ab eo librorum conscriptorum copia erat, ut rogo exstruendo sufficeret. quod tamen poetæ

hujus

hujus impolita carmina ſatis deſignat, cum flammis ſtatim ab ipſius morte addici digna habita ſint. Ceterum & de eodem Caſſio locutum utrobique Horatium dicere quis poſſet, eumque nunc Parmenſem, nunc Etruſcum appellaſſe propter Parmenſis regionis cum Etruſca vicinitatem. Siquidem nunc quoque eæ regiones conterminæ ſunt, & per Pontremolenſem ditionem continuantur. Meras tamen calumnias, convicia mera nullo veritatis fundamento innixa Caſſii de Auguſti materno genere dicteria fuiſſe ſtatuimus, ea adducti Suetonii 19. auctoritate, quod Atia Auguſti mater M. Atio Balbo & Julia ſorore C. Cæſaris genita eſt. Balbus paterna ſtirpe Aricinus multis in familia Senatoriis imaginibus, a matre Magnum Pompejum arctiſſimo contingebat gradu, functuſque honore Præturæ inter XX. viros agrum Campanum plebi Julia lege diviſit. Quis nunc credat, virum hujuſmodi generoſiſſimum, vel menſarium vel piſtorem fuiſſe? Nugæ meræ. Lepidum quidem eſt, neque hoc loco prætermittendum, quod de Virgilio prodidit in ejus vitæ narratione Donatus: ſcilicet illum per jocum Auguſto quondam dixiſſe, arbitratum ſe, Auguſtum piſtore patre procreatum, quod ſemper panes tantum in mercedem ſibi dari juſſiſſet. Rem totam Donati ipſius verbis exſequar. *Quibus rebus*, inquit, (ſcilicet medicinæ 20. & mathematicæ ſtudio) *cum ante alios eruditior peritiorque eſſet* (Virgilius) *ſe in Urbem contulit, ſtatimque magiſtri ſtabuli equorum Auguſti amicitiam nactus, multos varioſque morbos incidentes equis curavit. At ille in mercedem ſingulis diebus panes Virgilio, ut uni ex ſtabulariis, dari juſſit. Interea a Crotoniatis pullus equi miræ pulchritudinis Cæſari dono fuit miſſus: qui omnium judicio ſpem portendebat virtutis & celeritatis immenſæ. Hunc*

19. *In Octav.*

20. *Donat. in Vit. Virg.*

 cum

cum adſpexiſſet Maro, magiſtro ſtabuli dixit, Natum eſſe ex morboſa equa, & nec viribus valiturum, nec celeritate; idque verum fuiſſe inventum eſt. Quod cum magiſter ſtabuli Auguſto recitaſſet, duplicari ipſi in mercedem panes juſſit. Cum item ex Hiſpania Auguſto canes dono mitterentur, & parentes eorum, dixit Virgilius, & animum celeritatemque futuram. Quo cognito, mandat iterum Virgilio panes duplicari. Dubitavit Auguſtus Octavii ne filius eſſet, an alterius: idque Maronem aperire poſſe arbitratus eſt, quia canum & equi naturam parenteſque cognorat. Amotis igitur omnibus arbitris, illum in penitiorem partem domus vocat; & ſolum rogat, an ſciat, quis nam eſſet, & quam ad felicitandos homines facultatem haberet. Novi, inquit Maro, te, Cæſar Auguſte, & ferme æquam cum Dis immortalibus poteſtatem habere, ut quemvis felicem facias. Eo animo ſum, reſpondit Cæſar, ut ſi verum pro rogatu dixeris, beatum te felicemque reddam. Utinam, ait Maro, interroganti tibi vera dicere queam! Tunc Auguſtus: Putant alii me natum Octavio: quidam ſuſpicantur alio me genitum viro. Maro ſubridens, Facile, inquit, ſi impune licenterque quæ ſentio loqui jubes, id dicam. Affirmat Cæſar jurejurando, nullum ejus dictum ægre laturum, immo nonniſi donatum ab eo diſceſſurum. Ad hæc oculos oculis Auguſti infigens Maro, Facilius, ait, in ceteris animalibus qualitates parentum a mathematicis & philoſophia cognoſci poſſunt: in homine nequaquam poſſibile eſt: ſed de te conjecturam habeo ſimilem veri, ut quid exercuerit pater tuus, ſcire poſſim. Attente exſpectabat Auguſtus quidnam diceret. at ille, Quantum ego rem intelligere poſſum, piſtoris filius es, inquit. Obſtupuerat Cæſar, & ſtatim quo id pacto fieri potuerit, animo volvebat. Interrumpens Virgilius, Audi, inquit, quo pacto id conjicio: cum quædam enuntiarim prædixerimque quæ intelligi ſcirique nonniſi ab eruditiſſimis ſummiſque viris potuiſſent; tu princeps Orbis item & item panes

in

in mercedem dari jussisti: quod quidem aut pistoris, aut nati pistore officium erat. Placuit Cæsari facetia. At deinceps, inquit Cæsar, non a pistore, sed a Rege magnanimo dona feres: illumque plurimi fecit, & Pollioni commendavit. Hactenus Donatus. cujus verba, licet fortasse longiuscula, recitare hic operæ pretium duxi, quod iis quæ hucusque commemoravi, Cassii Parmensis dicteriis de Augusti parentibus convenire quodammodo viderentur. Ceterum Virgilius adeo non ex pistore genitum Augustum deinceps dixit, ut contra totus fuerit in ejus illustranda origine: totumque Aeneidos celebratissimum opus ad Augusti ex Aenea, ipsaque Venere deducendam progeniem instituerit. Nam genus & proavos regina pecunia donat; qua Virgilius largissime ab Augusto donatus, usque adeo de ejus parentibus sententiam mutavit, ut de pistrino, unde per ludum ipsum genitum pronuntiaverat, in cælum eumdem tollere non dubitaverit. Certe Atiam Latinam gentem ab *Aty*, sive *Atyde*, Ascanii Juli Aeneæ filii comite originem duxisse memoravit Maro Aeneidos quinto illis versibus:

Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
Parvus Atys pueroque puer dilectus Iulo.

Et Ariciæ Atiam gentem diu floruisse, testatur lapis, anno a V. P. CIƆIƆCCXV. juxta Ariciam effossus, dum restitueretur via publica proxima sacello quod dicitur *della Stella*, cum exesa hac inscriptione:

M. ATIVS M. FILIO R---------
LEIBERTIS LEIBERTA---------
M. ATIVS M. L. SALVIVS. M. ATIVS-----
M. ATIVS M. L. HIERO. X. M. ATIVS----
M. ATIVS M. L. ANTIOCVS. M. ATIVS---
M. A-

M. ATIVS M. L. ALEXANDER. M---------
M. ATIVS LICAEN------------------------------
M. ATIVS M. L. PRIMVS---------------------
M. ATIVS M. L. FELIX-----------------------
M. ATIVS M. L. LVDO-----------------------

21. Auctor libri de progenie Augusti, qui Messalæ Corvino tribuitur.

22. Sueton. in Aug.

Ceterum, & auctor libri qui de progenie Augusti inscribitur 21. totus est in Virgilii vestigiis persequendis, & ostendendo ab Aenea Augustum materno saltem genere originem duxisse. Quæ meræ assentationis blanditiæ attritis miserabiles labellis a sano quoque jure semper habitæ sunt. Cum Augustus ipse de se nil aliud umquam professus fuerit, quam 22. ortum esse locuplete quidem honestaque familia, verum equestri tantummodo, non Senatoria. Ceterum de loco natalis ipsius dubitatum est a quibusdam. Thurii (quod Magnæ Græciæ, sive Calabriæ, est oppidum a Philoctete conditum non longe a loco ubi Sybaris antea fuerat) Augustum apud se natalem habuisse ad hanc diem prædicant; faventem sibi *Thurini* nominis, quo infans appellatus fuerat, conjecturam secuti. Perperam tamen; cum nominis ejusdem veram legitimamque caussam res gestas in agro Thurino a patre Octavio, Augusto recens nato fuisse compertum sit. Recens atque adhuc superstes auctor qui Veliternorum res, sacras præcipue, novissimus evulgavit, vir ceteroqui doctus & eruditus, Augustum Velitris natum mordicus tenet, adversus ea quæ Suetonius aperte scripsit, natum scilicet illum Romæ. In quo, quamvis Veliternorum res exsequar, eorumque gloriæ, intra tamen veritatis fines, multus studeam; non possum quin Scriptoris hujus constantiam desiderem. Cum enim præcipua ac ferme tota vis, Au-

gustum

gustum Velitris oriundum, & Veliterna antiqua familia genitum fuisse, adversus omnia in contrarium argumenta, in Suetonii auctoritate sita sit, qui satis multis id testimoniis (quæ singula infra colligemus) confirmat; nuperus hic auctor Suetonium ceteroquin in omnibus addictissime secutus, in hoc quod Augustum Romæ, non Velitris, natum asseveret, non derelinquit modo, verum & tamquam partium studio a vero deflectentem Romæque assentantem, suggillare non dubitat. Et tamen Romæ, non Velitris, natus est Augustus, licet Veliterna antiqua familia genitus, & paterno rure in Veliterno agro sito educatus fuerit. Quæ singula adductis veterum testimoniis accurate persequar. Et primo quidem Suetonius, cujus auctoritatem ab omnibus semper maximi factam video, de natali Augusti habet: 23. *Natus est Augustus M. Tullio Cicerone & Antonio Coss. IX. Kal. Octobr. paullo ante Solis exortum, regione Palatii ad Capita Bubula; ubi nunc sacrarium habet, aliquanto postquam excessit, constitutum. Nam, ut Senatus actis continetur, cum Cajus Lectorius adolescens patricii generis in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque Patribus Conscriptis allegaret, se esse possessorem ac velut æditumm soli quod primum D. Augustus nascens attigisset, peteretque donari quasi proprio suo ac peculiari Deo, decretum est, ut ea pars domus consecraretur*. Regio Palatii, decima ex regionibus Urbis Romæ fuit. En ut Suetonius locum ipsum natalis Augusti designat ac veluti digito ostendit, horamque ipsam natalis commemorat; quæ præcipua veritatis semper argumenta fuerunt. Narrationem vero confirmat ex eo, quod sacrarium Senatusconsulto ibidem Augusto dedicatum fuerit ubi natus erat; atque id decretum ab eodem Senatu, quod ea

23. Sueton. in Octav. c. 5.

pars

pars domus Lectorii illius patricii adoleſcentis, locus eſſet quem primum naſcens Auguſtus attigiſſet. Adde his ea quæ ab ipſo Suetonio commemorata fuſius Dio 24. Dio. l. 45. ſub init. Caſſius refert, nempe Auguſto recens 24. edito Nigidium Figulum philoſophum e Pythagoreorum ſecta, Julii Cæſaris & Ciceronis ætate celeberrimum, cujus ſæpe meminit etiam Gellius, eumdemque Senatorem, ſtatim imperium vaticinatum fuiſſe. Cum enim is ea tempeſtate omnem cæli deſcriptionem ſiderumque diſcrimina, & quid eorum unumquodque portenderet conceptis in ſingula eorum motus momenta genitiſque infantibus, vivorum unus uſque adeo calleret, ut vetitis idem ſtudiis operam dare crederetur; ea die qua natus eſt Auguſtus, Octavio parenti ejus forte occurrit, cum is ſerius quam par erat in Senatum veniſſet: percunctatuſque moræ cauſſam; illum, ob ſibi ea die natum filium, cunctatum eſſe, ut audivit, exclamavit continuo: *Dominum nobis genuiſti*. Unde & conturbatus Octavius pater, parum abfuit quin puerum necari juſſerit, quod nollet Reipublicæ tantum mali creare; ſcilicet amiſſionem libertatis, quam filius, ſi Romanorum dominus futurus erat, certo illi ademiſſet. Prohibuit tamen Nigidius, aſſerens, id omnino in fatis eſſe, neque puerum antequam hæc eveniſſent, de medio tolli ullo pacto poſſe. Hæc Dio. quibus hanc adjecit clauſulam: *Hæc ea die qua in lucem editus eſt C. Octavius, acta ſunt*. Quid apertius hoc teſtimonio ad confirmandum, Auguſtum Cæſarem Velitris quidem oriundum, Romæ tamen natum fuiſſe? Romæ enim eo die Senatus habitus eſt, & mane, ut moris erat; manebatque pater Auguſti Octavius Romæ, & Romæ pariter Nigidius Figulus. Cum igitur, ut ex Dionis verbis liquet,

quet,

quet, Romæ hæc quæ narravimus geſta ſint eo die quo Auguſtus natus eſt, reliquum omnino eſt ut Auguſtus idem Romæ natus fuerit. Neque vero Suetonius in ea quam mox referam, narratione, a ſententia veluti diſceſſit de loco natalis Auguſti (quod illi recens auctor opponit) dum cellam quamdam prope Velitras ubi educatus fuit Auguſtus , etiam ſua ætate oſtendi memoravit, *In qua*, inquit, *nutritus fuit*, 25. *tenetque vicinitatem opinio, tamquam & natus ibi ſit*. 25. *Sueton. in Octav. c.* 6.
Suetonius enim his verbis vicinitatis tantum illius famam refert, quam tamen, dum ſupra, Auguſtum Romæ regione Palatii ad Capita Bubula natum deſcripſit, falſam fuiſſe ſatis oſtendit. Conſtans itaque ſibi eſt Suetonius. Ceterum inſcriptiones quaſdam, quas Veliterni Scriptores in medium afferunt, nunc quoque Velitris proſtantes, quibus Auguſtum Velitris natum legimus, non moror. Illæ enim recentes admodum ſunt , & a Veliternis famam hujuſce rei libentiſſime ſecutis poſitæ. Jacobus quidem Laurus ajebat, ſe Romæ prope Domitiani triumphalem fornicem, antiqui arcus triumphalis pariter Auguſto olim excitati fragmentum vidiſſe, in quo Auguſtum Velitris natum fuiſſe, legebatur. Verum cum unus unicus ſit ipſe qui hoc ſcribat, neque per hæc tempora non modo inſcriptionis, verum neque fragmenti illius arcus veſtigium appareat, ejus unius auctoritas tanti profecto non eſt, ut Suetonio & Dioni contrarium omnino aſſerentibus, hiſtoricis ceteroquin antiquiſſimis ac probatiſſimis, anteferri debeat. Maneat itaque, Auguſtum natum quidem Romæ eſſe , quamquam Veliterna gente; atque inter Veliternos cives tum ob originem , tum vero ob educationem Velitris habitam, recenſendum. Atque, ut ea omnia argumenta

quæ Augusto Velitris originem fuisse confirmant, in unum hic colligam; primo quidem vicus ille Octavius, cujus in superioribus memini, testis est, qui in sublimiore parte oppidi, eo ferme loco fuisse creditur qui nunc *Castellum* nuncupatur, ubi vetustissimorum ædificiorum rudera ad hanc diem supersunt, compositorumque ex variis lapillis pavimentorum opere tessellato, quod aliqui *musivum* dixere, vestigia. In eodem quoque vico ad sacram Divo Laurentio ædem, juxta aram maximam exstat antiquus lapis cum inscriptione, in qua Gentis Octaviæ mentio fit in hæc verba:

O. L. VRBANA
Q. AMMIO Q. L. OPTATO
VIRO SVO
C. OCTAVIO SPE ANTIATI F.
OCTAVIAE L. FORTVNATAE
FECIT
SIBI POSTERISQVE SVIS

Deinde ara Martis in qua Veliterni semicruda exta sacrificabant, & ex qua sacrificii reliquiæ ex eorum Senatusconsulto ad Octavios deferebantur, ob Octavii illius memoriam qui nondum peracto sacrificio semicrudisque in ara relictis extis ad bellum contra finitimos ob defendendam patriam properavit, alterum & illud quoque publicum testimonium de patria Gentis Octaviæ fuit. Tertium vero id quod Suetonius inter cetera prodigia Augusto terrarum orbis imperium portendentia connumeravit. scilicet, quod 26. Velitris antiquitus tacta de cælo parte muri responsum est: *Ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum*. qua fidu-

26. Sueton. in Octav. c. 94.

fiducia Velitrini & tunc ſtatim, & poſtea ſæpius pæne ad exitium ſui cum populo Romano belligeraverant; at ſero tandem documentis apparuit, oſtentum illud, Auguſti potentiam portendiſſe. Et vero potitus rerum eſt Auguſtus. ſiquidem: 27. 27. *Virg. Aeneid. l. 6.*

Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ſæpius audis,
Auguſtus Cæſar Divi genus: aurea condet
Sæcula qui rurſus Latio, regnata per arva
Saturno quondam: ſuper & Garamantas & Indos
Proferet imperium. jacet extra ſidera tellus
Extra anni ſoliſque vias, ubi cælifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Hujus in adventum jam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent divum, & Mæotia tellus,
Et ſeptemgemini turbant trepida oſtia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;
Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.
Nec qui pampineis victor juga flectit habenis
Liber agens celſo Nyſæ de vertice tigres.

Nutritum denique fuiſſe Auguſtum juxta Velitras in avito ſuburbano, Veliternum illum origine fuiſſe neminem ſanum dubitare jam ſinit: 28. *Nutrimentorum* 28. *Sueton. in Octav. c. 6.* *autem ejus*, inquit Suetonius, *oſtenditur adhuc locus in avito ſuburbano juxta Velitras permodicus & cellæ penuariæ inſtar: tenetque vicinitatem opinio tamquam & natus ibi ſit. Huc introire niſi neceſſario & caſte, religio eſt: concepta opinione veteri, quaſi temere adeuntibus horror quidam & motus objiciatur: ſed & mox confirmata eſt. Nam cum poſſeſſor villæ novus ſeu forte, ſeu tentandi cauſſa cubitum ſe eo contuliſſet, evenit ut poſt pauciſſimas noctis horas exturbatus inde ſubita vi & incerta, pæne ſemianimis cum ſtrato ſimul ante fores inveniretur.* Mitto cetera, quæ

N 2 auctor

auctor idem & Dio Cassius narrat prodigia Augusti futuram felicitatem & potentiam portendentia, fabulamque quod ex Apolline sub draconis specie genitum illum Atia mater ediderit. Mitto quoque Catuli & Ciceronis de illo somnia; non enim hic mihi Cæsaris Augusti res gestas scribere sumo; quo in stadio nobilissimi historici jampridem gloriosissime desudarunt. Ea vero quæ ipsi infanti contigisse memorant, utpote quæ in avito suburbano Veliterno, ubi educatus fuit, evenerunt, nefas hic præterire. Itaque infans adhuc, ut 29. apud C. Drusum exstabat, repositus vespere in cunas a nutricula, loco plano, postera luce non comparuit: & diu quæsitus, tandem in altissima turri repertus est jacens contra Solis exortum. Cum primum fari cœpisset in avito suburbano obstrepentes forte ranas silere jussit: atque ex eo negantur ibi (Suetonii verba) ranæ coaxare. Sorores duas Octavias nomine habuit Augustus, quarum altera ipso natu major ex eodem quidem patre Octavio, verum Ancharia matre genita est: alteram vero mater Augusti Atia ex eodem Octavio peperit. Majorem Augustus sicuti viventem unice dilexerat, ita defunctam publica oratione laudavit, quod & Atiæ matri præstiterat, & aviam Juliam pariter defunctam duodecimum agens annum pro concione laudaverat. Funebrem 30. sororis laudationem in Basilica Julii habuit, quo tempore publicus tota Urbe mæror fuit, ita ut Senatus vestem mutaret, & sordidatus incederet. Minorem Octaviam quidem nullis veterum Scriptorum monumentis ornatam silentio prætereamus, cum Fulvius Ursinus in iis quæ de Gente Octavia scripsit, se nihil de Octavia minore reperisse narrandum testetur. Ceterum Octavia major ex C. Marcello M.

29. *Sueton. in Aug. c.94.*

30. *Aen. Vic. Parm. in Octav. ma. F. 20.*

Marcel-

Marcellum illum genuit cui Augustus Juliam filiam in matrimonium collocavit; quamvis 31. M. Antonius Sabellicus, M. Marcellum ex C. Memmio patre editum ab Octavia prodiderit. In quo tamen erraſſe illum apertiſſime dicendum eſt, cum, præter omnium Scriptorum teſtimonia, vel ipſum gentilitium M. Marcelli nomen, genitum illum Marcello patre abunde teſtetur. Duxerat hic Juliam vix pueritiam egreſſus, verum immatura morte ſublatus æternis, ita dixerim, Virgilii verſibus immortalitati quodammodo eſt conſecratus. Quos, utpote elegantiſſimos pariter & pretioſiſſimos, juvat hic attexere: 32.

31. *In Comm. Sueton.*

32. *Aeneid. l. 6. circa finem.*

Atque hic Aeneas (una namque ire videbat
Egregium forma juvenem & fulgentibus armis,
Sed frons læta parum & dejecto lumina vultu)
Quis, pater, ille virum qui ſic comitatur euntem?
Filius? anne aliquis magna de ſtirpe nepotum?
Quis ſtrepitus circa comitum? quantum inſtar in ipſo eſt?
Sed nox atra caput triſti circumvolat umbra.
Tum pater Anchiſes lacrimis ingreſſus obortis:
O gnate, ingentem luctum ne quære tuorum:
Oſtendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Eſſe ſinent. nimium vobis Romana propago
Viſa potens, Superi, propria hæc ſi dona fuiſſent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ, Tiberine, videbis
Funera cum tumulum præterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet avos: nec Romula quondam
Ullo ſe tantum pietas jactabit alumno.
Heu pietas, heu priſca fides, invictaque bello
Dextera! non illi ſe quiſquam impune tuliſſet

Obvi-

Obvius armato, ſeu cum pedes iret in hoſtem,
Seu ſpumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu miſerande puer! ſi qua fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis;
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Pretioſiſſimos merito dixi hos verſus, ſiquidem in Virgilii Vita refert Donatus, Octaviam Auguſti ſororem cum ſexto libro Aeneidos ab Virgilio coram Auguſto recitato intereſſet, ad hæc carmina: *Tu Marcellus eris* &c. defeciſſe, atque ægre refocillatam, dena ſeſtertia in ſingulos verſus Virgilio dari juſſiſſe; ex quibus aureorum, ſive ſcutatorum Romanorum, ut vocant, ſexaginta quinque millium ſumma conficitur. ſunt enim qui ad Marcellum Octaviæ filium pertinent verſus, omnino viginti ſex, in quorum ſingulos ſi dena ſeſtertia dividas, allatam ſummam reperies. ſeſtertius namque nummus major (quem *ſeſtertium* neutro genere aliqui dictum putant) ducentorum & quinquaginta denariorum ſummam conficiebat, ut videre eſt apud Budæum. 33. Ceterum priore marito defuncto, nupſit Octavia M. Antonio dum in celebri Triumviratu cum Auguſto Antonii res pacifice proceſſerunt. Verum decimo poſt menſe exortis ob imperandi libidinem ſociorumque in imperio impatientiam atrociſſimis inter eos ſimultatibus & diſcordiis, Octaviam repudiavit Antonius. 34. Auguſtus vero theatrum Marcelli nomine dedicavit, & juxta illud porticum ſumtuoſiſſime ædificavit, quam de ſororis nomine *Octaviam* dixit. Fuit autem Romæ & altera porticus *Octavia* nuncupata, quam loco ubi poſtea Pompejus theatrum ſuum excitavit, proximam ædificaverat Cn. Octavius Cn. F., qui

33. *Vide Dion.*

34. *Sueton. in Octav.*

qui fuit Aedilis Curulis, Pr. Con. Decemvir ſacris faciundis, triumphavitque de Rege Perſeo navali triumpho. Quam combuſtam, reficiendam curavit Auguſtus. Ipſe autem 35. ſponſam habuerat adoleſcens P. Ser- 35. *Id. ibid.*
vilii Iſaurici filiam: ſed reconciliatus poſt primam diſcordiam Antonio, & poſtulantibus utriuſque militibus, ut & neceſſitudine aliqua jungerentur, privignam ejus Claudiam Fulviæ ex P. Clodio filiam duxit uxorem vix dum nubilem. At ſimultate cum Fulvia ſocru exorta, dimiſit intactam adhuc & virginem. Mox Scriboniam in matrimonium accepit nuptam ante duobus Conſularibus, quorum alter M. Marcellus fuit maritus exinde Octaviæ ſororis Auguſti. Repudiata quoque Scribonia ob ejus morum, ut ipſe ajebat, perverſitatem; ſtatim Liviam Druſillam matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem, abduxit, dilexitque ac probavit unice & perſeveranter; ita ut in ejus oſculis hac voce ſupremum edita: *Livia, noſtri conjugii memor vive, ac vale*, defecerit. Ex ea tamen nihil liberorum tulit, ut ut maxime cuperet. infans qui priore illius conjugio conceptus erat, immaturus eſt editus. Ex Scribonia vero Juliam ſuſcepit, quam prius Marcello ſororis Octaviæ filio vix dum pueritiam egreſſo collocavit; eoque ſublato, Marco Agrippæ nuptui dedit. Hoc quoque defuncto, multis ac diu, etiam ex equeſtri ordine circumſpectis conditionibus, Tiberium privignum ſuum elegit: coegitque prægnantem uxorem, & ex qua jam pater erat, dimittere. Tanta apud veteres illos profanos homines in conjugiis licentia ac rerum omnium perturbatio erat! Licet Auguſtus ſuper jugandis feminis, quod ait Horatius 36. legem tuliſſet, 36. *In Carm. Sæculari.*
adulteriiſque graviſſima propoſuiſſet ſupplicia. Nempe uni-

pe unius Christianæ Religionis erat sanctissimas hac super re ferre leges easque inviolabiliter observare. M. quidem Antonius scribit, Juliam filiam ab Augusto desponsam primum Antonio filio suo, dein Cotisoni Getarum Regi: quo tempore sibi quoque invicem filiam Regis in matrimonium petiisse. Cotisonis meminit Horatius. quamquam *Dacum* illum, non *Getam* appellet: 37.

37. *Hor. Ode* 8. *l.* 3. *ad Mæcen.*

Mitte civiles super Urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen.

Nepotes ex Agrippa & Julia tres habuit, Cajum, Lucium, & Agrippam; neptes duas, Juliam & Agrippinam. Juliam L. Paulo Censoris filio; Agrippinam Germanico, uxoris suæ Liviæ nepoti ex filio ejus Druso, collocavit. Cajum & Lucium adoptavit domi per assem & libram emtos a patre Agrippa, tenerosque adhuc ad curam Reipublicæ admovit; & Consules designatos circum Provincias exercitusque dimisit. eosdemque literas & notarum aliqua rudimenta per se plerumque docuit: ac nihil æque laboravit, quam ut imitarentur chirographum suum. Neque cœnavit una, nisi ut in imo lecto assiderent: neque iter fecit, nisi ut vehiculo anteirent, aut circa adequitarent. Amisit tamen 38. Cajum & Lucium probos juvenes nepotes suos intra sesquiannum, Agrippa perversissimi ingenii adolescente superstite. & Cajus quidem in Lycia, Lucius vero Massiliæ diem obiere. Itaque tertium nepotem Agrippam simulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege curiata. Ex quibus Agrippam brevi ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit seposuitque Surrentum. mox in dies amentiorem, in insulam deportavit, custodiaque militum sepsit; cavitque S. C. ut eodem loci perpe-

38. *Vide Sueton. & Dion.*

perpetuo detineretur. *Planasia* ea insula dicitur a Dione, 39. estque deserta prope Corsicam, quam nunc *Pianosa* appellamus. Agrippæ autem serviles mores auctor idem ita persequitur: Instabiles eos maris instar fuisse, unde & ipsum sibi *Neptuni* nomen adscivisse. iræ cum primis impotentissimum; Juliam matrem quasi novercam conviciis proscindere consuevisse; inque ipsum Augustum avum suum solitum excandescere, illum propter patris bona sæpius insimulando. cumque nequitiæ finem nullum faceret, quamvis & bonis omnibus quæ Augustus in ærarium militare reduxerat privatus, & in insulam deportatus, ab Tiberio demum ibidem interfici jussus est. Statim enim ab interitu Augusti, qui Nolæ decesserat, Tiberius 40. misso in Planasiam percussore illum necavit. Quamquam, cum populi Romani animos nondum satis erga se perspectos haberet, Agrippam injussu suo interfectum aliquamdiu dictitaret; percussoribusque, si deprehenderentur, minas intentaverit: non tamen eam necem ultus est. verum, ut quisque pro ingenio suo ac libidine de ejusdem morte sentiret & loqueretur, permisit. aliis Agrippam ab Augusto sub vitæ exitum interfici jussum, aliis Liviæ, non Tiberii, mandato interfectum illum comminiscentibus. Huic Agrippæ *Posthumo* nomen fuit, quod post mortem M. Vipsanii Agrippæ patris editus esset. Ceterum Augustus Juliam filiam neptesque ex ea Juliam & Agrippinam ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret: vetaretque loqui, aut agere quidquam, nisi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem coetu adeo prohibuit, ut L. Tucinio claro decoroque juveni scripserit quondam: Parum modeste fecisse eum, quod filiam suam

39. *Lib.* 55.

40. *Dio lib.* 57. & *Suet. in Tiber.*

O Bajas

Bajas ſalutatum veniſſet. Nil tamen ſevera hæc educatio Juliæ filiæ neptique Auguſti obſtitit, quominus in omne flagitii probrique genus erumperent declinarentque. quod, ſi ſemel quæ de lanificio innui, expoſuero, protinus exſequar. Lanificio itaque filia neptiſque Auguſti aſſuevere, veteri Latinarum more, inter quas ipſæ quoque, utpote ex Gente Octavia Veliterna, cenſebantur: quod hic Latinarum mulierum etiam nobiliſſimarum antiquiſſimus eſſet mos. Quem Juvenalis Satyra ſexta, quæ de mulierum ſua ætate corruptis moribus eſt, elegantiſſimis verſibus commemoravit:

Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva ſinebat
Tecta labor ſomnique breves, & vellere Tuſco
Vexatæ duræque manus.

Certe Lucretiam Collatini Tarquinii uxorem celeberrimum illud non impune, licet invito, violatæ pudicitiæ documentum, ab viro ex improviſo cum ſociis adventante Collatiam (antiqui Latii exciſam urbem, olim haud procul Tibure) lanificio intentam
41. *Liv. l. 1.* deprehenſam memorat Livius 41. additque, hoc opus præ ceteris, quibus probæ mulieres ſeſe exercerent, præſtantiſſimum omnium ſuffragiis judicatum. Livii verba exſequar: *Forte*, inquit, *potantibus his apud Sex. Tarquinium, ubi & Collatinus cœnabat Tarquinius Egerii filius, incidit de uxoribus mentio. ſuam quiſque laudare miris modis. inde certamine accenſo, Collatinus negabat verbis opus eſſe. paucis id quidem horis poſſe ſciri, quantum ceteris præſtet Lucretia ſua. quin, ſi vigor ineſt, conſcendimus equos? inviſimuſque præſentes noſtrarum ingenia? idque cuique ſpectatiſſimum ſit, quod nec opinato viri adventu occurrerit oculis. incaluerant vino. age ſane. omnes citatis*

equis

equis advolant Romam. quo cum primis se intendentibus tenebris pervenissent, pergunt inde Collatiam: ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus quas in convivio luxuque cum æqualibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt. Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. Nam & illud luculentissimo testimonio est, quanto in pretio apud veteres Latinos foret lanificio nobiles feminas sese exercere, quod Plinius 42. memorat; *42. Plin. l. 8. c. 48.* scilicet lanam cum colo & fuso Tanaquilis (quæ eadem *Caja Cæcilia* vocata est, fuitque Lucumonis, qui postea Tarquinius Priscus Romanorum Rex quintus fuit, uxor) in templo Sangi durasse; idque Varronis auctoritate confirmat; factamque ab ea togam regiam undulatam, qua Servius Tullius fuerat usus. Inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus comta, & fusus cum stamine. Postes 43. etiam maritalis domus a novis nuptis cum primum eo deducerentur, lana attingi moris fuit; tamquam ea maxime res esset quam exercentes uxores, virorum sibi benevolentiam demeriturae essent. *43. Plin. l. 29. c. 2.* Hunc morem Latini a Græcis hauserant. Siquidem Varro scribit, in nuptiis *Thalassionem* (quam vocem tunc temporis ingeminare consueverant) signum esse lanificii. *Thalassionem* enim vocabant quasillum vas lanificiis aptum. Plutarchus vero hanc in nuptiis vocem primo habitam fuisse affirmat, quod Græci θαλάσιον lanificium vocant; ea ratione, ut provocarentur virgines ad opera, ac potissimum ad lanificium. Non me fugit hujus vocis *Thalassio*, aliunde deducta apud Livium 44. origo: verum hæc ex interiori veluti ac penitiori literatura, hic, ut in loco, depromta in medium afferre operæ pretium duxi. *44. Liv. l. 1. de rapt. Sabinar.* Penelope quoque ad vi-

rum ſcribens, Græcarum mulierum morem hunc fuiſ-
45. *Ovid. in Ep. Penelop.* ſe inſinuat his verſibus: 45.

Forſitan & narras, quam ſit tibi ruſtica conjux,
Quæ tantum lanas non ſinit eſſe rudes.

Verumtamen fatendum eſt & ceterarum ferme gentium omnium communem fuiſſe morem hunc. Certe in Divinis Literis mulieris probatiſſimæ & fortis
46. *Proverb. c. 31. v. 13. & 19.* exemplum hinc maxime commendatur, quod 46. *quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum; & ſtragulatam veſtem fecit ſibi*; quodque *digiti ejus apprehenderunt fuſum*, iccirco *manum ſuam ad fortia miſiſſe*
47. *Q. Curt.* dicitur. Ceterum Perſæ 47. e contra nihil turpius exiſtimabant, quam feminas admovere lanæ manus: & lautæ ætatis noſtræ mulieres, Perſarum ſententiæ ſubſcribentes, cane pejus & angue lanificium horrent, illudque nonniſi viliſſimarum ancillarum penſum putant. Quamquam & hac ætate antiquæ virtutis non
48. *In ejus vita typis edita.* dicam veſtigia ſed exempla vidimus. ſiquidem 48. Eleonora Neoburga nobiliſſima femina, Leopoldi Primi Romanorum Imperatoris uxor, Caroliqueque Sexti feliciſſime, dum hæc ſcribimus, imperantis, mater, viſa eſt frequentiſſime regias inter nurus colu lanam deducere, ac per mediam regiam urbem curru vehi, colu, lana, & fuſo comitantibus. Jam vero Juliam
49. *Vide Dion.* 49. filiam ſuam Auguſtus eo laſciviæ progreſſam ut in ipſo etiam foro & roſtris nocturnas comeſſationes & compotationes ageret; perque ſummam licentiam Marſiæ Satyri ſtatuam in foro collocatam obſcœniſſimis ludis ac cæremoniis adhibitis coronaret; ſero tandem cum deprehendiſſet, (ut ferme principibus viris accidit, qui domeſtica probra omnium noviſſimi cognoſcunt) in iras adeo exarſit, ut recitato de ejuſdem filiæ proſcriptione libello, frequenti Senatu,

eam

eam in Pandatariam insulam, quæ circa Campaniæ oras est, & modo *Pandana* dicitur, protinus relegaverit; Scribonia matre ultro eam comitante. qui vero cum ea rem habuerat Julius Antonius, quasi spe imperii occupandi id fecisset, majestatis reus cum aliis nonnullis morte mulctatus est, reliqui in insulas exsulatum missi. Hujusmodi autem probris adeo indoluit Augustus, ut publico diu præ pudore abstinuerit. cumque sub idem tempus una ex consciis liberta Phœbe nomine suspendio vitam finisset, maluisse se ait Phœbes patrem, quam Juliæ fuisse. Relegatæ usum vini omnemque delicatiorem cultum ademit; neque adiri a quopiam libero servove, nisi se consulto, permisit; & ita ut certior fieret, qua is ætate, qua statura, quo colore esset, quibus etiam corporis notis vel cicatricibus. Post quinquennium demum ex insula in continentem, lenioribusque paullo conditionibus eam transtulit: nam ut omnino revocaret, exorari nullo modo potuit; deprecanti sæpe populo Romano & pertinacius instanti, tales filias talesque conjuges pro concione imprecatus. Juliam quoque neptem dignissimam tali matre filiam probris omnibus contaminatam pariter relegavit, editumque ex illa post damnationem infantem agnosci alique vetuit; ad omnem Juliarum & Agrippæ nepotis mentionem ingemiscens. satius multo cælibem vivere & sine liberis interire. neque eos aliter quam *tres vomicas & carcinomata sua* appellare consueverat. Juvat hic attexere quæ de M. Vipsanio Agrippa Juliarum alterius quidem conjuge, alterius vero & Agrippæ Posthumi parente Plinius 50. animadvertit, illum scilicet in pedes genitum, sive ex utero matris non anteriori capite, ut moris est omnium, verum primis prodeuntibus 50. Lib. 7. c. 8.

tibus pedibus eductum; unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis. *Agrippæ* enim ii appellati sunt qui sic nascerentur, nempe ab *ægritudine* & *pedibus*; quod is partus difficillimus ægerrimusque habeatur; notatumque sit, vitam eos fere semper miserrimam traduxisse, vitæque exitum infelicissimum sortitos. licet autem M. Vipsanius Agrippa felix sane cetera fuerit, tum rerum gestarum gloria, tum ædificiorum a se excitatorum molibus (inter quæ Pantheon nunc quoque integrum perseverat) tum Augusti Cæsaris propinquitate, amicitia, atque opibus; tamen is quoque adversa pedum valetudine, misera juventa, exercito ævo inter arma mortesque, infelici terris stirpe omni, sed per utrasque Agrippinas maxime, quæ Cajum Caligulam, & Domitium Neronem principes genuere, totidem faces generis humani. Præterea brevitate ævi, quinquagesimo raptus anno, in tormentis adulteriorum conjugis, socerique prægravi servitio, luisse augurium præposteri natalis existimatur. Et hi quidem Augusti minores & posteri fuerunt. Ipse 51. *Cæsaris* nomen, Julii Cæsaris majoris avunculi testamento accepit; *Augusti* vero ex Munatii Planci sententia, cum is, quibusdam censentibus illum *Romulum* appellari oportere, quasi & ipsum conditorem Urbis, prævaluisset ut *Augustus* potius vocaretur; non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine; quod loca quoque religiosa, & in quibus *augurato* quid consecratur, *Augusta* dicantur, ab *auctu*, vel ab *avium gestu gustuve*; sicut etiam Ennius docet scribens: *Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est*. Vocatus est etiam Augustus idem *Octavianus* aliquando pro *Octavio*, idque juxta Latinorum consuetudinem, filiorum nomen ex paterno

51. Sueton. in Octav.

sic

ſic derivandi. Ita Aemilii filius Scipio, ut cetera exempla prætermittam, *Aemilianus* dictus eſt ex paterno cognomine. De eo Juvenalis: 52. 52. Satyr. 8 ſub init.

Et ſtantes in curribus Aemilianos.


Itaque ab Octavio patre Auguſtus *Octavianus* eſt appellatus. Quamquam autem virilis ſobolis Auguſtus nihil reliquerit, Octaviæ tamen Gentis reliquiæ nonnullæ ſuperfuere, eorum ſcilicet qui illum aliquo, licet remoto, conſanguinitatis gradu contingerent. Publium quemdam Octavium Tiberii Cæſaris æqualem memorat Seneca, de quo Epiſtola nonageſima quinta hæc narrat: *Mullum ingentis formæ (quare autem non pondus adjicio & aliorum gulam irrito? quatuor pondo & ad ſelibram fuiſſe ajebant) Tiberius Cæſar miſſum ſibi, cum in macellum deferri, & venire juſſiſſet, Amici, inquit, omnia me fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius. Ultra ſpem illi conjectura proceſſit. Licitati ſunt. vicit Octavius, & ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cum quinque millibus HS. emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Numerare tantum Octavio fuit turpe. nam ille qui emerat ut Tiberio mitteret (quamquam illum quoque reprehenderim) admiratus eſt rem qua putavit Cæſarem dignum.* Hactenus de P. Octavio Seneca. Ceterum mulli & pondus & pretium multo majus, ut obiter hoc notem, Libri noni capite decimo ſeptimo & octavo memorat Plinius. De pretio enim refert ab Aſinio Celeri viro Conſulari octo millibus nummum coemtum mullum fuiſſe. quod autem ad pondus attinet; mullum octoginta librarum in mari rubro captum teſtimonio Mutiani prodidit. Jam vero fuiſſe & poſt hunc Octavii hujus Gentis alii videntur. Certe æræ Chriſtianæ anno quadrageſimo, Romæ vixiſſe Fauſtinus ſive Flavius


vius Octavius Clemens Senator nobilissimus memoratur, qui Clementis primi Romani Pontificis sanctissimi pater fuisse dicitur. Hunc Veliterni civem esse dicunt suum, 53. ex Octavia Gente Veliterna ortum. Ajunt enim, Gentem Octaviam etiam post Augustum diu Velitris viguisse, in cujus rei testimonium loca multa tum Velitris in urbe, tum in Veliterno agro *Octaviana* ab Octaviis diutissime appellata adducunt. Anno quoque a Virginis partu altero & nonagesimo Agapitum Octavium Senatorem Eustachii viri sanctissimi ejusdemque Christiani athletæ fortissimi parentem floruisse, Sabellicus memoriæ prodidit. Et centesimo 54. nonagesimo, Octavium alium Cornelii Romani Pontificis, morte ob Christianæ Fidei testimonium fortiter obita, clarissimi, patrem fuisse, Romanarum familiarum Scriptores tradiderunt. Ceterum, cum minime liqueat, utrum illustres hi viri, quos novissimos commemoravi, ex Octavia illa Gente fuerint, quam recensere, cujusque posteros numerare mihi propositum est; finem hic de eadem sermonem habendi faciam, duo tantum veluti mantissæ loco innuendo. Alterum quidem; quod Octavius Mamilius Tusculanus, qui celeberrimus Latinorum fuit olim dux adversus Romanos, ex Octavia Gente Veliterna minime fuit. Constat enim Tusculi natum, indidem originem & majores habuisse, quorum primum Telegonum Tusculi conditorem Ulyssei & Circes filium fuisse, sunt qui 55. testantur. Quæ, cum de Tusculanis mihi scribetur historia, fusius persequar, & probatissimorum Scriptorum testimoniis confirmabo. Alterum vero quod innuam, est; quod quamvis Latini Græcique historici omnes ad unum memoriæ prodiderint, ab Augusto nil liberorum, masculi-


53. *Joann. Diac. in vit. S. Clem. P.*

54. *Zazzera de Famil. S. Eustachii.*

55. *Dionys. Antiq. Lib.*







OCTAVIA

Octauiæ Gentis Veliternæ Romæ Illustris Nummi

Roccus Pozzi Sculp.

Calliope.




Clio.



Vrania.




Erato.



Euterpe.




Thalia.



Melpomene.



Therpsicore.



Polyhymnia.



Q. Pompony Musæ Consulis, cuius Sepulcralis inscriptus lapis extat Velitris in Ginettorum Hortis, Nummi, inquibus Musarum effigies atque habitus repræsentantur.

Ex lib .5. Dialog. Ant. Aug.

Roccus Pozzi Sculp.

culinæ ſcilicet ſobolis, relictum; 56. tamen plures nunc temporis generoſiſſimæ gentes ſive familiæ ab Octaviano Auguſto exortas ſeſe gloriantur, eumque inter proavos primum ſibi ſumunt. Neque vero illis ego adverſabor, neque contrarium mihi ſtatuendum proponam; quin potius univerſam hanc de Octavia Gente narrationem juvat ſic abſolvere: 57.

56. *Vide Zazzer. & Kirk. in Hiſtor. Euſtachio-Mariana.*

57. *Juvenal. Sat. 8.*

Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer. ambiguæ ſi quando citabere teſtis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſſas.

58.

Quod modo propoſui, non eſt ſententia: verum
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi ſancta cohors comitum, ſi nemo tribunal
Vendit acerſecomes, ſi nullum in conjuge crimen,
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licet a Pico numeres genus; altaque ſi te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipſumque Promethea ponas:
De quocumque voles proavum tibi ſumito libro.

58. *Id. ead. Sat. paullo infer.*



CAPUT VIII.

De Ulubris oppido olim in agro Veliterno.



X illo oppidorum numero quæ in Latio interiere ſine veſtigiis, fuiſſe Ulubras nil mirum eſt, cum hæ tunc quoque cum maxime florerent, in exemplum deſertiſſimi loci ſemper adduci conſueverint. De illis pauca nunc exſequar, eaque omnia, quamvis ingloria, in medium afferam monumenta, quæcumque apud veteres Scriptores habentur. Itaque fuerunt Ulubræ Latinorum antiquiſſimum oppidum in agro olim Veliterno ſitum, atque ad ipſas ferme Pomptinas paludes collocatum, unde & corrupti aeris vitio ſemper laborans jam inde a ſui exordio vitari cœpit, & in locorum deſertorum exemplum, tamquam omnium deſertiſſimum adduci. Horatius ad Bullatium amicum ſcribens e Græcia reverſum, dum totus eſt in hac inculcanda ſententia; Locorum ſcilicet mutatione ægrum animum ferme nihil juvari, eo quod ſecum ſemper dum ſemetipſum fert, ægritudinis ſuæ cauſſam deferat; æquum animum e contrario nulla loci cujuſquam, quantumvis deſertiſſimi atque infeliciſſimi, conſuetudine & ſtatione turbari poſſe; ſic inquit: 1.

1. *Hor. Ep.* 11. *l.* 1.

Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere: quod petis, hic eſt;
Eſt Ulubris, animus ſi te non deficit æquus.

In quem locum Acron Porphyrius Horatii interpres; iccirco, ait, *Ulubras* ab Horatio nominatas, quod ibi Augu-

Augustus Cæsar nutritus fuisset. Quod maxime cum iis convenit quæ de Augusti nutrimentorum loco nos superiore capite attulimus ex Suetonio; Augustum scilicet in avito suburbano educatum prope Velitras. Miror, dubitatum a quibusdam esse num Ulubræ in Latio, loco quem nos, licet vagum, apud Velitras tamen, his quæ afferimus testimoniis innixi, statuimus; num in Campania fuerint. Cum Ciceronis maxime auctoritate Ulubras in Pomptino, ac propterea non longe a Velitris, exstitisse plane constet. Tullius itaque ad Trebatium, celeberrimum suæ ætatis Jurisconsultum, in Britanniam cum Cæsaris comitatu cogitantem scribens: 2. *Has literas*, inquit, *scripsi in Pomptino, cum ad villam M. Aemilii Philemonis divertissem: ex qua jam audieram fremitum clientium meorum, quos quidem tu mihi conciliasti. Nam Ulubris, honoris mei caussa vim maximam ranunculorum se commosse constabat. Cura ut valeas. VI. Idus Apr. de Pomptino.* Itaque ex his Tullii verbis abunde colligitur, in Pomptino, sive Pontino, agro scilicet a Pomptinis, sive Pontinis, paludibus occupato, Ulubras exstitisse; tamque prope villam M. Aemilii Philemonis in Pontino sitas fuisse, ut Ulubranorum clientium, quos *ranunculos* Cicero per jocum appellat, fremitus exaudiri posset. Iccirco autem Ulubranos *ranunculos*, scilicet parvos ranarum pullos, Tullius appellat; quod in oppido inter paludes sito, ranarum in morem inhabitarent. Nec veris id oppidum ranis caruisse crediderim, præsertim dum in memoriam revoco prodigium illud quod ex Suetonio retuli superiore capite; Augustum scilicet adhuc puerum in avito suburbano dum educaretur, strepentes ranas silere jussisse, easque exinde perpetuo ibi mutas evasisse. Quod etiam, Ulubris Augustum nutritum & educatum

2. *Cic. Ep. Fam. l. 7. Ep.* 18.

fuiſſe, quo in loco ranunculorum vis maxima Ciceroni memoratur, novo teſtimonio confirmat. Ceterum ſi verba illa Tullii attentius expendamus; Ulubras oppidum non omnino a populo deſtitutum fuiſſe, ut conſtans videtur fama eſſe, deprehendemus. quamvis enim *ranunculos* per jocum & contemtum Ulubranos Tullius appellet; dum tamen eorum vim maximam honoris ſui cauſſa ſe commoſſe refert, multitudinem potius ac frequentiam oppidi videtur innuere. Niſi tamen interpretari malis, quod ideo ranunculorum vim maximam ſe commoviſſe feſtive jocetur Cicero; quod, præter ranas, nullus Ulubras deſertiſſimum oppidum inhabitaret. Ut ut res habuerit, ætate certe Juvenalis vacuas fuiſſe, poeta idem teſtatur; nam de Sejani ſupplicio loquens, tamquam ex vulgi ſermone ſic inquit: 3.

3. *Juvenal. Sat.* 10.

Hujus qui trahitur, prætextam ſumere mavis,
An Fidenarum Gabiorumque eſſe Poteſtas,
Et de menſura jus dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis Aedilis Ulubris?

Unde & per Aediles Roma miſſos dictum Ulubris jus ea ætate fuiſſe liquet. Pannoſos autem hujuſmodi Aediles notat poeta, quod oppidi ſolitudinem ac inopiam ſatis deſignat. Tullius quoque, licet Juvenale ſuperior multo, Trebatium ſuum Juriſconſultum illum poſtea celeberrimum, quem prima ſecundi libri Satyra conſulere fingit Horatius, ſalſe ridet, quod Ulubrani populi patrocinium ſuſcepiſſet. Siquidem ad ipſum Trebatium ſcribens, quem Epicureum factum audierat: *Quid*, 4. inquit, *fiet porro populo Ulubrano, ſi tu ſtatueris* πολιτεύεσθαι *non oportere?* ſcilicet: *Quomodo jam ſtabit Ulubranorum illa præclara enimvero Reſpublica, quam tu in clientelam dudum ſuſcepiſti; ſi tu, juxta Epicu-*

4. *Ep. Fam. l.* 7. *Ep.* 12.

Epicureorum ſententiam, quando ex iis unus factus eſſe diceris, Reipublicæ curam ac civium negligi omnino oportere conſtitues? Ceterum, quos *Ulubranos* Tullius, eoſdem 5. *Ulubrenſes* Plinius appellavit, & inter Veliternos & Ulvernates conſtituit. Unde rurſus mirandum, aliquos, de Ulubrarum regione, utrum in Latio, utrum in Campania fuerint, dubitare potuiſſe, cum eas in Latio exſtitiſſe tam liquido conſtet. Et tamen villarum ſumtuoſiſſimis ædificiis, & ruſticantium Romanorum deliciis Ulubranus ager minime caruit. quod vel ex M. Aemilii Philemonis villa a Tullio commemorata ſatis colligitur. Quamquam enim corruptus admodum aer eſſet per eum tractum, hieme tamen incommodum illud nullum erat; hibernas itaque ibidem ruſticationes habebant Romani: nuſquam enim plus quam ibi tepent hiemes, iis præſertim hominibus qui Hiſpanorum mendiculorum igne, ut eſt in proverbio, libenter calefierent, qualem ſe 6. Horatius Solibus aptum commemorat. Denique Ulubras non longe a Cora collocatas fuiſſe innuere videtur vetuſtus lapis Coræ effoſſus in hæc verba: 7.

5. *Plin. l. 3. c. 5.*

6. *Horat. l. 1. Ep. 20. v. 24.*

7. *Ex MSS. Card. Corradini.*

LIBERO PATRI
SPIRA VLVBRANA
D. S. P. F.

His ſcilicet in baſe ſigni Bacchum referentis inſculptis notis memoratur Spira quædam Ulubrana Libero Patri de ſuo poni feciſſe ſtatuam illam, quæ in templo eidem dicato collocata fuerat. Quod tum Ulubrarum urbi Coranæ vicinitatem videtur innuere, tum Ulubranæ hujus mulieris non exiguas copias deſignat. Marmoreas enim ſtatuas, ac templa, quod etiam Spira hæc

ra hæc Ulubrana feciſſe videtur, diis ponere, mendiculorum non eſt. Unde & Ulubranis bona aliqua fama poterit provenire. Quæ multo major ex eo provenit, quod aliquando Ulubræ deductæ fuerint Romana Colonia, ut ex Sexti Julii Frontini libro de Romanis Coloniis liquido conſtat; *Ulubra*, inquit Frontinus, *oppidum a III viris deductum, poſtea a Druſo Cæſare exſtinctum. ager ejus in nominibus eſt aſſignatus. iter populo non debetur.* Ubi notandum quod Frontinus non *Ulubræ*, ut ceteri antiquiores, ſed *Ulubra* ſingulari vocabulo dixit. memoratque a Druſo Cæſare, (Tiberii filio crediderim, qui in Germania dum triumphum meditatur, improviſo morbo ſublatus eſt) Ulubras exſtinctas fuiſſe, agrumque circa in nominibus, non in ſoluto, aſſignatum fuiſſe ait; neque populo iter deberi. Quæ omnia, cum de Signina Colonia ſermo erit, inſequenti libro fuſius explicabuntur. Ceterum, ſi Auguſtum Ulubræ educarunt, ejuſque nutrimentorum locus fuere, ſatis vel ex hoc uno celebres exſtiterunt; meritique, ut noſtræ huic hiſtoriæ peculiari narratione deſcriberentur, quamvis hac ætate exciſæ ſint omnino ſine veſtigiis, ſatis ſuperque habuere.



CA-

CAPUT IX.

De Medullia Priſcorum Latinorum oppido.



QUAMQUAM ſtatuere non auſim quo potiſſimum Latii loco Medullia Priſcorum Latinorum oppidum, quocum Romani ab ipſo ferme Urbis exordio bellum geſſere, ſitum fuerit; cum tamen illud ab Albanis conditum fuiſſe conſtet; ab Veliterno certe agro haud multum diſtaſſe, non immerito licet ſuſpicari. Sane, ſi huic de Veliternis libro, oppidi ejuſdem pauca quæ ſuperſunt, monumenta adjunxerimus; nulla erit Latina civitas, quæ Medulliam tamquam ſui agri partem a nobis veluti repetere jure poſſit; cum plane certus locus ubi ea urbs condita fuerit, deſignari a mortalium nullo quantumvis peritiſſimo aut confidentiſſimo hactenus potuerit. Fuit 1. itaque Medullia Priſcorum Latinorum oppidum, quod Albani ſuorum eo manu dimiſſa multo ante Romam Conditam poſuerunt. *Medullini* incolæ appellati. Hujus oppidi, quod inter illa tria & quinquaginta præclara Latii oppida quæ jam inde ab ſua ætate interiiſſe ait ſine veſtigiis, 2. Plinius annumerat, duplex præ ceteris gloria fuit. Altera quidem, quod vel prima vel certe inter primas exſtiterit Romanorum Colonia: altera vero, quod Tulli Hoſtilii tertii Romanorum Regis bello inclyti patria fuerit. Et quidem, quod ad Coloniam attinet, Dionyſius 3. tradit, Medulliam Priſcorum Latinorum oppidum nobile, cum ceteris ſuæ gentis exemplo fuiſſet, ut ſe Romulo rerum geſtarum adverſus Tatium Sabinorum

1. *Dionyſ. init. l. 3.*
2. *Plin. l. 3. c. 5.*
3. *Init. l. 3.*

norum

norum Regem gloria celebri in deditionem traderent; sub ipsa Urbis incunabula ab eo Romanorum Coloniam factum fuisse. Defuncto autem Romæ Numa Pompilio, qui secundus a Romulo Rex fuerat, reversaque ad Patres administratione Reipublicæ; post aliquot Interreges suffragio populi creatos, regnum universæ Civitatis consensu delatum suscepit 4. Tullus Hostilius, ortus, ut fertur, oppido Medullia. nam inde avus ejus Hostilius in Urbem migraverat, ubi uxorem Sabinam duxit Hersiliæ filiam, quæ popularibus suis feminis auctor fuit, ut bello Sabino ad parentes pro maritis legatione fungerentur. quo facto præcipuam laudem tulit conciliatæ inter partes amicitiæ. Is vir multis præclare Romuli ductu gestis, a Sabinis in prœlio cæsus est, unico filiolo relicto superstite, sepultusque non longe a Regia in maxime conspicua Fori parte, cum inscriptione virtutem ipsius apud posteros testatura. Ex hoc itaque unico filio & nobili matrona prognatus est Tullus Hostilius, qui omnium unanimi consensu & auspicato tertius Romanorum Rex creatus est, Olympiadis, juxta Dionysii 5. calculum, septimæ supra vigesimam anno secundo. Inclyti hujus Regis ea præcipua laus fuit & gloria, quod Albanos Romanorum primo parentes, mox hostes atque æmulos, aliquando victores, ipse demum vicerit; eorum urbem Albam Longam solo æquaverit; cives Romam transtulerit & sacra; totumque ferme Latium in Romanorum ditionem redegerit. Fulmine illum periisse tradit Livius, dum sacra quædam Jovi procuraret, nec tamen eadem rite faceret. Regnavit autem magna gloria annos duos & triginta. De illo Virgilius: 6. *cui deinde subibit,*

Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit

Tul-

4. *Dionys. ibid.*

5. *Ibid.*

5. *Aneid. lib.* 6.

Tullus in arma viros & jam desueta triumphis
Agmina.

Ceterum ea fuit Hostilii in administrando Romanorum regno integritas & fides, ut ob ejus jura asserenda gloriamque amplificandam suæ suorumque originis securus adversus antiquam patriam suam Medulliam arma inferre non dubitaverit. 7. Cum enim devictis, ut ajebam, Albanis, reliquos Latii populos jure belli in suam populique Romani potestatem devenisse contenderet; nec tamen Latini imperata facerent; bellum adversus eos renovavit, ab antiqua patria sua Medullia exorsus; quam, eo quod, licet Romana Colonia, ad suos defecisset, expugnavit; atque eo exemplo universum Latinum nomen a novandis in posterum rebus absterruit. Brevis tamen fuit ea quies, suamque Latini Medulliam receperunt. 8. Ancus autem Martius, qui Tullo in regno successerat, post aliquot cum Latinis prœlia, oppidum idem in Romanorum potestatem denuo redegit; triennio postquam ab Latinis receptum fuerat. Anno autem ab Urbe Condita ducentesimo sexagesimo, Aulo Virginio Cælimontano, T. Veturio Gemino Consulibus, Medullini rursus a Romanis defecerunt, icto cum Sabinis societatis fœdere. quorum mente cognita, Patricii a plebe tum dissidentes volebant eos confestim totis adoriri viribus; plebe tamen imperium detrectante, eo quod sæpius jam spe frustrata fuisset, falsisque pollicitationibus de sublevanda inopia delusa. Ceterum dilata diu ea expeditio est; nec quando a Romanis denuo Medullia recepta, memoriæ proditum. Eam certe in eorum potestatem una cum reliquo Latio tandem venisse, excisamque sine vestigiis jam ab ipsa Plinii ætate jacuisse, in comperto est.

7. Diony. l. 3.

8. Id. ibid.

Q Cujus

Cujus urbis hæc, quæ tantum ad nos pervenerunt, monumenta protulisse satis fuerit. Ceterum Medullinam Gentem Romæ nobilem ex oppido Medullia originem duxisse crediderim. Ex ea Claudius Medullinus villam prædiumque in agro Antiati Veliternis contermino habuisse memoravi, in eo quem scripsi de Antiatibus 9. libro. Hujus quoque celebrantur prædia Cumis ad Lirim in Campo Stellate, & apud Lucrinum. Fuit autem Campus Stellates, de quo nunc, ager in Campania, nunc *Campo Mazzone*, in quo sexdecim mille trecenti Samnites Appio Claudio Consule cæsi sunt. unde etiam recentem appellationem, scilicet a *Mactatione*, Campus idem forte deduxit. Ex eadem quoque Medullina Gente fuisse Medullinam illam virginem, quam. 10. Plutarchus ebriam repertam, a Medullio patre violatam memorat, verisimile est. Alios quoque Medullinos in antiquorum monumentis inveniri posse non negaverim, qui Medullia originem duxerint, quos investigare longum nimis fuisset.

9. *Vulp. Vet. Lat. l. 4. c. 3.*

10. *Plutarch. in Parallel.*

FINIS LIBRI SEXTI.



VE-



VETUS LATIUM
PROFANUM
LIBER SEPTIMUS
DE CORANIS.

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Urbis Coræ Conditoribus.



OCORUM vicinitas, & rectus narrationis ordo postulat, ut cum superiore libro de Veliternis egerimus, hoc de Coranis historiam instituamus. Quodque primum omnium quæri solet, Coranæ urbis Conditores investigemus. Antiquissima quidem hujus urbis origo, quæque ipsius celeberrimæ & vetustissimæ Trojæ origine prior ab Historicorum nonnullis perhibetur, ea est in caussa cur ejusdem Condi-

tores alios alii dixerint. Siquidem ab Albanis quidam conditam fuiſſe aſſeverant; a Corace Argivo Tiburti Tiburis conditoris fratre, nonnulli; a Dardano denique Phrygio, qui Trojæ quoque auctor fuit, plerique omnes prima Coræ mœnia poſita, memoriæ prodiderunt. Quid nos? Unicuique locum debitumque honorem dabimus; ac tres veluti hujus urbis origines in medium producemus; Scriptorumque omnium ſententias optime conciliabimus. Ac primo quidem: Coræ primum omnium conditorem Dardanum Phrygium fuiſſe, 1. probatiſſimorum auctorum ſententiam ac teſtimonia ſecutus aſſevero. Ita enim Julius Solinus, Dionyſius, & Plinius, quos recentiorum multi ſecuti ſunt. Vulgata quoque ab antiquiſſimis temporibus apud Coranos fama eidem ſententiæ ſummopere ſemper favit. Quod juxta 2. Euſebii calculum, anno ab Orbe Condito bis milleſimo ſupra quadringenteſimum contigiſſe dicendum eſt. Fuit autem Dardanus, ut multis placet, Coriti e primis Italiæ Regibus filius ex matre Electra Atlantis filia. *Coritum* vero & Jovem appellatum dicunt. Sed cum in immenſum fabularum pelagus iis qui hæc fuſius perſequi velint intrandum ſit; haud ultra hac ſuper origine inveſtiganda ſermo procedet. Quid itaque iis Scriptoribus qui a Corace Amphiarai Argivorum principis filio, aut nepote, Coræ originem deducunt, reſpondendum erit? Bona utique verba. Coracem ſcilicet Argivum, quem memorant, annis trecentis ſupra quinquaginta ab Dardano vixiſſe, dirutam omnino ac pæne exciſam Coranam urbem, loci amœnitate ac felicitate ductum, e ruinis iterum excitaſſe; primævumque eidem cultum ſplendoremque reſtituiſſe. Fuit autem Corax Catilli majoris filius e gente

1. *Dionyſ. l. 1. Antiq. Rom. Plin. l. 3. c. 5. Solin. c. 2. pag. mihi 13. Martian. l. 6. pag. 206.*

2. *In Chronic.*

gente Argiva, deorumque origine; ut qui fabularum ſeriem exponunt, memoriæ prodiderunt. Quamquam Harveus noſter Coracem Catillumque juniorem germanum ejus fratrem, non quidem Catilli majoris filium fuiſſe, ſcribit, ſed Amphiarai illius Græci, qui conjugis Eriphyles fraude ad Thebanum bellum adverſum Eteoclem Polynicis fratrem ire compulſus, dum ſtrenue pugnaret, repentino terræ hiatu una cum curru abſorptus eſt. Ut ut res habeat (numquam enim pro alterutra fabularum parte pugnabo) hoc Scriptoribus ferme cunctis 3. eſt certum, Coracem Argivum Catilli fratrem & Tiburti Italiam appulſum, Coram urbem ædificaſſe. quod tamen non de prima hujus urbis ædificatione intelligendum eſt; cum ex probatiſſimis Hiſtoricis, illam ab Dardani uſque temporibus, atque adeo ab ipſo Dardano auctore, multo ante Dardaniam (quæ & Troja) conditam, hucuſque meminerimus. Itaque Coranam urbem adeo in ruinis jacentem (quod bellorum impetu factum crediderim) ut exciſam omnino quivis eo accedens poſſet exiſtimare, Corax Catilli & Tiburti frater Argivus, iterum excitavit, mœnibus cinxit, munivit, ædificavit; eoque pro conditore a Coranis, nominis etiam affinitate ductis, habitus eſt. Ipſum quoque Coracem dirutam vetuſtiſſimam urbem Coram appellatam audiens, ut cognominem ſibi locum reſtitueret, permotum exiſtimaverim. Coracem hunc adverſus Aeneam pro Turno ceteriſque Latinis dimicaſſe, Virgilius memorat; illumque Tiburtina ex urbe cum ſuorum manu, ſociis auxilio veniſſe ſcribit his verſibus: 4.

3. *Serv. in Virg. Blond. Torrentin. Zachar. Lilius in Mund. Deſcript. &c.*

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem;

4. *Virg. Aeneid. Lib. 7.*

Et

Et primam ante aciem densa inter tela feruntur,
Catillusque acerque Corax Argiva juventus.

Jam vero vatis ejusdem testimonio alios habuit urbs Corana conditores, seu verius restitutores, Albanos scilicet. Virgilius namque verba faciens de Anchise ad Aeneam filium in Elysiis loquente, eique suorum usque ad Augustum posteritatem omnem ostendente, ab Albanis Regibus Coram una cum Nomento, Bola, aliisque Latinis urbibus condendam commemoravit: 5.

5. *Virg. 6. Aeneid. circa finem.*

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces
Laude pudicitiæ celebres, addentque superbos
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.

Cur autem Albani primi Coræ conditores minime dicendi sint, satis superque ex dictis hactenus constat. scilicet eorum regnum atque ætas nimium ab Coranæ urbis antiquitate historicorumque de ejusdem conditore sententiis discrepant. Quod vero Albanos Virgilius Coræ conditores dixerit, inde fuit; quod Augusto gratificaturus, majores ejus quanto poterat illustriores voluit commemorare: ac proinde res gestas oppido multas falso iisdem appinxit. Quod poetæ fabulas secuto nemo non concesserit. Ceterum, est quod Albanis debeat Cora, eosque in partem veluti originis suæ non immerito vocet. Siquidem Albani captam jam dirutamque, excitarunt tertio, Coloniamque suorum eodem deduxerunt. *Regnante Latino Silvio Albæ,* inquit Dionysius, 6. *Coloniæ deductæ sunt Præneste, Tibur, Gabii, Tusculum, Cora, Pometia, ceteraque oppida circumquaque.* Quod autem hæc urbs sæpius excisa fuerit, in ruinis sæpius jacuerit, & Aboriginum, Arcadum, Pelasgorum, Sicanorum vel Siculorum,

6. *Lib. Antiq. Rom. f. 777.*

lorum, Rutulorum, Aufonum, aliorumque primorum qui Latium incoluerunt, populorum incurfionibus, inteftinifque ac frequentiffimis bellis vaftata ferme penitus interierit, vel ex elegantiffimis Propertii verfibus conftat. Is enim Romæ cunabula memorans hæc habet: 7. 7. Propert. l. 4. Eleg. 11.

Nec dum ultra Tiberim belli fonus: ultima præda
Nomentum, & captæ jugera parva Coræ.
Et Veji veteres, & Volfcum regna fuiftis,
Et veftro pofita eft aurea fella foro.
Nunc intra muros paftoris buccina lenti
Cantat, & in veftris offibus arva metunt.

Lucanus quoque: 8. 8. Pharfal. l. 8.

-------------------- omne Latinum
Fabula nomen erit. Gabios, Vejofque, Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monftrare ruinæ.

Condita eft primum Cora ac femper deinceps reftituta eodem prorfus loco quo nunc quoque cernitur, in montis dorfo inter Setiam urbem & Velitras, duodecim tantum ftadiis ab celeberrima illa Appia via diftans. In meridiem fluminibus Nympheo, atque Afturæ, & Sulmonenfibus campis imminet, Pomptinafque paludes & Circeum promontorium profpicit. In occafum, Neptunium, Antium, Lavinium, Ardeam, Laurentum, Velitras, & Cifternam defpectat; totaque ea regio opportuniffima venationi eft. ingentes quippe immenfæque filvæ omnia protegentes tum volatilium, tum terreftrium, tum aquatilium cujufque generis prædam opimam quovis anni tempore dominis fufficiunt. In orientem vero ac feptemtriones circumdata eft Cora Lepinis montibus, in quibus Signia. Hi quoque crebra filva confiti funt.

Urbis

Urbis nomen ab ejus figura deducunt aliqui, quæ nunc quoque *cordis* imaginem refert. Nos a patre *Corito* conditorem Dardanum *Coram* illam nominasse, initio diximus. A *Corace* nonnulli nomen derivant. *Corax* autem κόραξ Græce, *coruum* significat. Verum hæc hactenus.

C A P U T II.

De vetustis Coranorum Aedificiis, ac præsertim de Templis.


URORUM quibus conditores Coram munierant, nulla quidem in hanc ætatem superfuere vestigia. Mœnia tantum illa supersunt quibus urbs septa fuit, dum Gothi, Barbari illi tæterrimi, in odium Romani nominis antiquissima quæque ac pulcherrima tota Italia ædificia igne ferroque fœde vastarent. Barbarorum eorumdem humilem admodum imbecillamque structuram in iis mœnibus agnoscas; quibus idemtidem ad excubias ac defensionem turres inædificatæ cernuntur; quæ tamen ipsæ magnam partem in ruinas dilapsæ sunt. Alia quoque interdum propugnaculorum cernere est vestigia, quo validius urbs muniretur mœnibus insertorum. Hi muri ter mille passus olim circuitu conficiebant. Patet ex his in urbem aditus e tribus portis, quas a locorum quo ducunt, nominibus incolæ appellant. *Signinam* aliam, aliam *Romanam*, tertiam vero, quæ ad Nymphæa ducit, *Nymphisinam* peculiari vocabulo vocavere. Ceterum locus ipse a natura satis munitur: nam in ipso portarum aditu prærruptas altissimasque voragines urbem inter atque agrum aperuit, quas nonnisi superjectis

jectis pontibus iisque satis longis superare fas est. Sparsa est undique Cora subterraneis cavernis, ad aquas cogendas antiquitus intra montis viscera summo labore atque impensa diductis, quarum pavimenta aliqua adhuc supersunt variis lapillis instrata, opere quod *musivum* sive *tessellatum* appellant. Quamvis autem cavernæ sive cisternæ hujusmodi multæ etiam extra urbem appareant, vacuæ tamen omnes & aquis sunt destitutæ. Romanos scilicet ad Urbis dominæ felicitatem deliciasque augendas montis Corani aquas perpetuis ductibus ædificatis alio divertisse, non nemo prudenter sane existimavit. At in urbe quidem aquarum ejusmodi vestigia nulla. Extra muros vero rivuli passim e monte defluunt, quibus Nymphei amnis cursus augetur. In radicibus quoque Augustinianorum Fratrum, quos vocant, domus, ingens aperitur caverna longis sane cuniculis amfractibusque continuata, in qua latibula quædam visuntur a natura quidem condita, verum artifici quoque manu ad inhabitandum aliquantulum elaborata, quæ miserorum mancipiorum ergastula recte dixeris. Altera pariter ibidem in montis vertice caverna aperitur, quæ longissimo subterraneo tramite continuari perhibetur. In his Coranos aliquando delituisse, & adversus sævientium bellorum furentes impetus his miseros cives sese protexisse, ex eo pronum est suspicari, quod hæc latibula passim testaceis vasis in usum humani victus olim effictis, nunc in minuta fragmenta concisis, sparsa cernuntur. Nullus autem ferme vicus est intra urbem ubi immania saxa vetustissimarum molium ædificiorumque olim fundamenta non appareant; quorum si immensam, ita dixerim, molem attentius inspicias, prima veluti post Noemum sæcula, quando Gigan-

R tes

tes illi, hominum monſtra, viguerunt, teſtari ac referre procul dubio videbuntur. Ceterum & auctores alicujus ex iis ciſternis quas memoravimus, nos docet vetuſta inſcriptio in lapide qui Coræ juxta viam quæ *a columnis* dicitur, proſtat, in hæc verba: 1.

1. *MSS. Card. Corrad.*

C. OPPIVS VERVS LF TVRPILIVS PRISCVS M. F. IIII VIR I D
AQVAM CAELESTEM DILABENTEM MONTIBVS COLLECTAM
INTERCISO AGGERE
PER FORMAM CVRSV FACTAM IN PISCINIS REPVRGATIS
LONGO TEMPORE CESSANTIBVS
P. R. PRODVXERVNT EX S. C.
-- --- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- --

Hanc inſcriptionem infra, utpote in loco, explicabimus: nunc illam tantum in medium attuliſſe ad hujuſmodi ciſternarum vetuſtatem oſtendendam ſatis ſit. De fabula illa vulgaribuſque rumoribus domus Pilati, quem Coræ quidam fuiſſe, & magiſtratum obiiſſe, putant, non eſt quod multa commemorem, cum nullo ea fama Scriptorum teſtimonio poſſit confirmari; immo Hiſtoricorum communi ſuffragio falſam omnino eſſe ſatis conſtet. Ceterum cum inter antiqua Coranæ urbis ædificia, omnium ſumtuoſiſſime ac magnificentiſſime ædificata, ut ferme fit, templa fuerint, eorumdem multa ad hanc uſque ætatem pervenere veſtigia, ex quibus eorum magnitudo ac moles deprehendi aliquatenus poteſt. De his itaque nunc agendum. Et primo quidem Caſtoris & Pollucis ædes, ſive templum, Coræ fuit, quam Marcus Calvius inter

ter Coranos nobiliſſimus pecunia ſacra faciendam curavit; quod oſtendit in fronte ejuſdem templi poſitus lapis nunc ſemirutus cum inſcriptione: 2.

2. MSS. Card. Corradini.

AEDEM CASTORI POLLVCI DEC. S.
FACIENDAM PEQ SACR COER.
-------- M. CALVIVS M. F. P. N.

nempe: *Aedem Caſtori & Polluci de Collegii*, vel *Decurionum ſententia faciendam pecunia ſacra curavit Marcus Calvius Marci filius Publii nepos*. Impoſita erat ædes aſpero admodum montis cacumini, ubi quatuor adhuc exſtant ſtriatæ columnæ, areamque ejus occupari ajunt partim a templo quod Servatori Deo Chriſtifideles exſtruxerunt, partim ab aliis civium ædificiis. Ejuſdem quoque longitudo ea fuiſſe cenſetur, quæ inſtrato muſivi operis lapillis pavimento contegitur, atque in octoginta ferme paſſuum ſpatium extenditur. In hujus pavimenti parte ac veluti faſcia quadam, inſcriptionis fragmentum legi ex purpureo marmore intextum reliquo pavimento his verbis:

C. CVRTIVS C. L. PHILI-------

Cetera muris inædificatis occupantur. Hujus templi aditum magnificentiſſime exſtructis porticibus exornatum fuiſſe, columniſque ſexaginta Doricæ, Corinthiæ, Etruſcæque ſtructuræ, disjecta paſſim per urbem earumdem pretioſa fragmenta; præter civium teſtimonia; ſatis confirmant: inter quæ etiam portarum limina, & faſtigia, ſtatuarumque exciſa membra paſſim occurrunt. Aedificatum a M. Calvio templum hoc Caſtoris ſub Claudio Imperatore, refert Vignolius; 3. quod tamen non ſatis evincitur, cum potius

3. De Columna Antonini.

 Clau-

Claudii Imperatoris ætate, in ruinis omnino Coram jacuisse superiori capite ex Propertii Lucanique testimoniis ostenderim. Multo itaque ante Claudii tempora conditum ejusmodi templum crediderim, quamvis ejus ætatem statuere minime possim. Quod & locutio ipsa satis ostendit; in qua, ut alia omittam vetustissimæ ætatis signa, illud satis erit notasse, quod COER pro CVR. nempe *curavit* scriptum ipse nuperrime ibi legi; qui scribendi loquendique modus non tantum tempora Claudianis multo superiora, sed Ciceronianam, immo etiam Plautinam ætatem aperte designat. ut inter ceteros quamplures Antonius Augustinus in decimo de Nummis antiquis Dialogo allatis exemplis ostendit. Templi hujus ruderibus Balneas sive Thermas adjunctas fuisse testantur quatuor, quæ adhuc visuntur, camerata antra, sive aulas dixeris, sive cubicula, magnificæ sane structuræ, quæ nunc in quatuor oleariarum molarum usum concessere. His aliarum vetustissimarum substructionum rudera adjuncta apparent. quæ omnia magnitudinem & nobilitatem loci designant. Balneas autem juxta Castorum templum ideo exstructas dixerim, ut athletæ, pugiles, equorumque domitores & agitatores post suas quisque exercitationes pulverem sudoremque abstergerent. Vel etiam lavando in Balineis Castorum, purgari se quocumque a crimine, omnique turpitudinis aut flagitii macula mundari profani crediderunt. quod nunc Turcæ quoque aliique Asiæ populi putant. Certe Aeneas nullo modo deos Penates suos contrectare ausus est, nisi prius vivo flumine sese purgasset ex Græcorum cæde:

4. Virg. Aeneid. 2. circa finem.

Tu 4. genitor, cape sacra manu, patriosque Penates:
Me bello e tanto digressum, & cæde recenti,

Attre-

Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.

Quod Coræ M. Calvius ædem Caſtori ac Polluci fecerit, juxta Latinarum civitatum vetuſtiſſimum morem fuit. quamvis enim hi ſemidei profanorum e Græcia eſſent, utpote Lacones; paſſim tamen apud Latinos quoque templis colebantur & ſacrificiis. Hos Jovi, ut eſt in fabulis, Leda Spartana Tyndari uxor, celeberrimæque illius Helenæ mater, edidit, cum ſub cygni ſpecie Juppiter eam fefelliſſet. Natos ex ovo, fabulati ſunt poetæ, quod ſuperius illud cubiculum ſive cœnaculum, in quo Ledam deprehendit Juppiter, ὑπερῷον Græcis, ſive ὦον dicitur. quod vocabulum, cum alteri ᾠὸν, ideſt *ovum* affine ſit, locum fabulæ dedit. De ea Horatius: 5. 5. L. 2 Sat. 1. v. 26

Caſtor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.

Alii Ledam duo ova concepiſſe, fabulati ſunt, alterum quidem ex Jove, ex Tyndaro alterum; ex Jovis ovo Pollucem immortalem enatum, ex Tyndari vero Caſtora mortalem, ut reliquos homines, eductum: tanta autem caritate hoſce fratres ſeſe mutuo complexos, ut occiſo Caſtori Pollux ab Jove genitore vitam & immortalitatem ſic impetraverit, ut certis temporum ſpatiis exactis alter ſemper occideret, alter reviviſceret: quod alternum eorumdem in ſuos imperium ſignificaſſe, ſunt qui putant. Ceterum inter ſidera relati mutuam hanc invicem loco cedendi caritatem non amiſerunt; alternis enim occidunt pariter & oriuntur. Eorum quoque ſtella ſive *Caſtores* (ſic enim ambo ſæpe ſunt appellati) ignes illi habiti ſunt a nautis qui poſt ingentes procellas & tempeſtates apparent; quos ſi geminos ſimul, ut accidit

cidit aliquando, navigantes fulgere conſpexerint, tamquam feliciſſimæ in poſterum navigationis omen accipiunt : noſtri *ignem Sancti Telmi* vocant . Elegantiſſi-
6. Lib. 1. Od. 12. me Horatius : 6.

Dicam & Alciden, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax (quod ſic voluere) ponto
Unda recumbit.

Unde & Horatius idem Virgilio amico navigaturo
7. Od. 3. l. 1. precatur Caſtoras, navis rectores ut ſint: 7.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida ſidera,
Ventorumque regat pater,
Obſtrictis aliis præter Iapyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium: finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et ſerves animæ dimidium meæ.

Itaque nautæ eos tamquam fauſtæ navigationis pa-
8. Plin. l. 2. c. 37. tronos 8. ac ſoſpitatores invocabant; quod inter ce-
9. Catull. carm. 69. ad Manlium. tera, Catulli teſtimonio conſtat ajentis: 9.

Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius aſpirans aura ſecunda venit;
Jam prece Pollucis jam Caſtoris implorata.

Iiſdem quoque tum ante navigationem, tum ea feliciter peracta, naves ipſas ſacrabant. quin immo de eorum nomine eas appellabant, quemadmodum navem illam qua ex inſula Melita Romam navigavit

Di-

Divus Paulus, Castorum insigne habuisse legimus, quod in Græco textu sic legitur: 10. παρασήμῳ διοσκούροις. hoc est, *cui erat insigne Dioscuri*, nempe pueri Jovis, Castores. ita etiam in nummis appellati ex Græcis vocibus διός, *Jovis*, & κόρος, sive κοῦρος *puer*. Dedicationis phaselli Castoribus factæ luculentum illud exstat exemplum apud Catullum, qui phasellum illum navium celerrimum, qui tot per impotentia freta herum tulerat æque feliciter, læva, sive dextera vocaret aura, Gemellis his ita consecrat: 11.

10. *Act. Apost. c.* 28. *v.* 11.

Sed hæc prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, & Gemelle Castoris.

11. *Catull. Ep.* 4.

Claruisse illos ajunt alterum quidem luctandi mira dexteritate atque arte, alterum vero domitorum equorum exercitatione; atque his artibus Græciam omnem informasse, quæ proinde benemerentibus & templa & sacrificia constituit. Horatianum illud attulimus hujusce rei testimonium: 12.

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.

12. *Horat. l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 26.

Cui illud Ovidii addendum: 13.

Ruricolæ Cereri teneroque adsurgite Baccho,
Pollucem pugiles, Castora placet eques.

13. *Ovid.* T. 1. *Oper.*

Has itaque artes avidissime arripuit summoque in pretio habuit, 14.

Ut primum positis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua:
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum.

14. *Horat. Ep.* 1. *l.* 2.

Tunc autem Latini quoque Castoribus aras, templa, & sacrificia constituerunt, cum 15.

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio.

15. *Eadem Ep. infer.*

Cer-

Certe Coræ ad ædem Caſtoris in ſummitate montis Corani exſtructam (inſtar illius quam in Taygeto monte ad Spartam, ubi nati ſunt Caſtores, exſtitiſſe memorant) paucis ab hinc annis eo loco ubi nunc Servatori Deo Optimo Maximo templum eſt dedicatum , quod e ruinis ædis Caſtoris excitatum , ſupra narravimus , Jacobus Riccius & Lælius Mutus Corani cives referebant, effoſſum equum marmoreum eximiæ magnitudinis, quem tamen, quod loco movere foſſores ruſtici admodum ac ſocordes minime poſſent, terra iterum obruiſſe ; atque ibidem nunc quoque latere . dignum ſane qui effodiatur vel publica impenſa , locoque totius oppidi celeberrimo in vetuſtæ majeſtatis memoriam collocetur . Ceterum tunc maxime toto Latio Caſtorum cultum auctum crediderim, templaque iiſdem in Coloniis paſſim excitata, cum bello Latino , cui pro Latinis adverſus Romanos Octavius Mamilius Tuſculanus dux fuit, Caſtoras, ſpecie juvenum equis inſidentium, Romanis auxilio fuiſſe, communi omnium voce fama vulgavit : viſoſque ejuſmodi equites in Foro Romano cæſariem lavantes, ſudorem ac pulverem ex prœlio contractum abſtergentes, eo loco quo Romani poſtea iiſdem ſacram ædem excitarunt . quam omni ſuperſtitione profanorum purgatam in honorem Dei Optimi Maximi & Sanctorum Coſmæ & Damiani Martyrum, in Foro Boario nunc quoque Romæ conſecratam exſtare cernimus . Fuſe hæc Dionyſius & Livius perſecuti ſunt: & nos etiam in Libro de Antiatibus, quantum inſtituti noſtri tunc erat, nonnihil attigimus . 16. Quamquam autem Caſtores pro Romanis adverſus Latinos eo bello auxilio veniſſe crediti ſint ; Latini nihilominus eorum bello vividam virtu-

16. Vulp. To. 3. Vet. Lat. l. 4.

virtutem divinamque (ut misere decepti putabant) eorumdem vim ad victorias consequendas æstimantes, eos sibi benevolos ac propitios exstructis aris ac templis facere voluerunt. Tanto autem cultu eosdem sunt venerati, ut per ædem quoque eorum jurarent, seseque sacramento obstringerent iis vocibus: *Aecastor*, *Aedepol*; scilicet *per ædem Castoris*; *per ædem Pollucis*. Horatius tamen altioris ordinis beneficia a Castoribus Græciæ impertita commemorat, ob quæ illos inter deos postea connumeraverit. Eos scilicet Libero Patri, Herculi, & Romulo conjungit, aitque Græcorum Rempublicam utilissimis institutis rexisse & confirmasse, atque ob id templa meritos fuisse. En ejus verba: 17. 17. Ep. 1. l. 2. sub initium.

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt. &c.

Fuit quoque Coræ templum Herculis, cujus illustria hodieque vestigia cernuntur in summa urbis parte, loco longe conspicuo, utpote in vertice Corani montis. Itaque exstat adhuc facies sive frons vetustissimæ porticus Herculei templi, non illa quidem tot sæculorum voracissimo exesa dente, verum adeo integra adhuc & nitida ut recens posita esse videatur. Hactenus pariter superfuere marmoreæ columnæ quædam porticum sustentantes, quibus imposita visuntur perpulchra fastigia egregiæ sane sculpturæ & cælaturæ, exornata, & pyramidem referentia. Atrium itaque templi totum superfuit, cujus magnitudinem quoque diligenter metiti sumus. Octo autem columnis constat, quarum altitudo deprehensa est palmorum octo & viginti una cum basi & capitello, latitudo palmorum

 decem.

decem. Sunt autem Doricæ ſtructuræ. Porro totius atrii latitudo reperta eſt palmorum triginta, totidemque longitudo, ita ut perfecte quadratam figuram referat. Imaginem illius accurate deſcriptam, ne quid deeſſet, hic apponi curavimus. Limina quoque portarum e nitidiſſimo marmore elaborata ea ſunt quæ turrim templi nunc Divo Petro ſacri in meridiem ſuſtentant. Mirum ſane tot poſt evoluta ſæcula, poſtque tot bellorum clades rerumque viciſſitudines tam integra hæc omnia ad hanc uſque ætatem perveniſſe. Duobus autem ab hinc ſæculis inter reliqua hujus templi rudera effoſſa ſunt labra duo (ſive conchas, ſive urnas, ad aquam excipiendam appellare malis) ex optimo marmore confecta, quadratæ figuræ, quorum dimidia pars erat palmorum ſex. Horum autem labrorum alterum, inſculptis agnorum floribus coronatorum capitibus, ornatum erat; quod ob eximiæ cælaturæ opus in uſum Sacroſancti Chriſtianorum Lavacri, quod Græci βάπτισμα dicunt, in æde proxima Divi Petri conceſſit. alterum vero in varias diviſum partes templo ejuſdem multiplici ornamento eſſe cœpit. Porro Herculei vetuſti templi portæ Doricis columnis ſuſtentatæ intra porticum impoſita inſcriptio, nunc quoque legitur in hæc verba:

M. MANLIVS M. F. L. TVRPILIVS L. F. DVOMVIRES DE SENATVS SENTENTIA
AEDEM FACIENDAM COERAVERVNT EISDEMQVE PROBAVERE.

18. *Gruter. Inſcript. t. 1. parte 1. pag. 43. ex edit. Jo. Georg. Grævii, Amſtelodami anno 1707.*

Hanc inſcriptionem nuperrime hoc ſcilicet anno MDCCXXVI. ſic ipſi accuratiſſime ſæpius legimus, & tamen eadem multo aliter refertur a Grutero ſic: 18.

M. TVR-

M. TVRPILIVS M. F. L. TVRPILIVS P. L.
DVOMVIRES DE SENATVS SENTENTIA
AEDEM HERCVLI
FACIENDAM COERAVERE IIDEMQVE PROBAVERE.

Quamquam autem ex vetusta fama hanc ædem Herculi sacram fuisse putemus; in ejus fronte tamen verbum *Herculi*, quod Gruterus exscripsit, re vera non est. Atque hic obiter notandum quantum vel accuratus quisque in his exscribendis & referendis monumentis peccet, nisi de visu atque oculatus sit testis, quales omnium quæ hic afferimus, nobis esse contigit. Ex hac inscriptione, in qua *Duom-vires*, non *Duum-viri*, & *coera-verunt*, non *cura-verunt* legitur, licet certum omnino tempus quo templum hoc ædificatum fuerit, statuere minime possim, illud tamen mihi videor satis bene posse colligere; primis saltem Romanæ Reipublicæ sæculis cum Latina lingua vetustis illis vocabulis uteretur, quæ postea antiquata sunt, templum idem fuisse constructum. Ceterum Duumviros sacrorum curandorum, sive sacris faciundis, sive qui sacris præessent, & alibi fuisse legimus. Horum erat sacros libros legere atque interpretari; si quid in urbe portenti accidisset, observare, malumque omen sacrificiis vel precibus publice indictis avertere; lectisternia ad pulvinaria deorum curare, templa excitare, dedicare, servare; denique quidquid ad deorum cultum pertineret, prospicere. Quod autem in labris illis de quibus nuper, agnorum coronatorum capita insculpta essent, inde fuit; quod Herculi, quemadmodum etiam aliis diis plerisque , agnorum coronatorum victimas

profani ſacrificabant , ac proinde eorumdem imagines in lavacris ipſis templorum paſſim inſculpere conſuevere. Alia quoque inſcriptio hic reperta in qua legitur:


HERCVLI SACRVM

hoc loco templum Herculis fuiſſe confirmat. Vetuſtate vero jam fatiſcens , vel etiam omnino collapſum, reſtituit M. Calvius ex pervetuſta Corana familia , vel certe ſignum aliquod in hoc templo de ſuo poni fecit. aliquid enim hujuſmodi loquitur lapis ibidem exſtans in hæc verba:

M. CALVIVS M. F. PAP. PRISCI
ADLECTVS IN ORDINEM SENATORIVM
A TI CLAVDIO CAESARE AVG. GERMANICO
D. S. P. F.

De Hercule ejuſque tota Italia, ac præcipue per Latium univerſum cultu , non eſt quod hic plura diſ-
19. Cap. 1. ſeram ; cum libro de Norbanis 19. hac ſuper re ſatis ſuperque diſſeruerim. Jam vero & Aeolo ventorum regi templum a Coranis conditum nonnulli putant, eoque loco fuiſſe tradunt, ubi nunc Luciorum Coranorum civium horti vireſcunt juxta forum ſive plateam *Dorici* . Nil tamen hujus templi ſupra terram, quod ejus ſtructuram nos doceat, reſiduum manſit. Fodientibus quidem ſæpe viſæ ſunt ingentium molium ſubſtructiones, fornices, aquæductus vaſti admodum ſumtuoſique operis. inde quoque non ſemel educta ſunt pretioſa antiquitatis fragmenta & veſtigia, nempe columnarum fragmina, baſes, capitella, faſtigia eximiæ cælaturæ , ſtatuarum capita , trunci,

bra-



Antiqui Castorum Templi Coronæ, quæ superfuere, Fragmenta.



Facies et Porticus Antiqui Templi, quod Herculi-quamplurimi, Dianæ nonnulli dedicatum fuisse putant; in uertice Corani Montis, ut in hanc usque aetatem Coræ uisitur.

brachia, crura, pyramides e nobiliſſimis marmoribus egregie ſectæ. quodque maximum pondus dedit conjecturæ de eo quod hoc loco templum Aeoli fuerit, præter vulgatam ab antiquiſſimis temporibus famam; inventa ſunt ſimulacra multa Ventorum, quos veteres tamquam alatos viros promiſſa barba repræſentare conſuevere. Aeolum vero fabulæ in ventos ab Jove regnum accepiſſe commentæ ſunt; quod inde originem duxit, quia ventorum motus omnes ad navigationis felicitatem unus omnium perfectiſſime calleret Aeolus. cui proinde cavum quoddam Aeoliæ inſulæ antrum, quo velut carcere ventos omnes in officio contineret, nec niſi quando, quove illi collibuiſſet, emitteret, ab Jove veluti regnum traditum fuiſſe, veteres fabulati ſunt. Egregie de hoc antro Virgilius: 20. 20. *Aeneid. l. 1.*

------ hic vaſto rex Aeolus antro
Luctantes ventos tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt: celſa ſedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria & terras cælumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.

Non abſimili imagine crediderim in hoc templo Coranos Aeolum repræſentaſſe; quamvis enim Aeoli regnum meræ nugæ ac poetarum fabulæ eſſent; iis nihilominus fidem tamquam veris profani adhibebant, eaſdemque maximum ſuæ religionis (vere ſuperſtitionis) fundamentum ſtatuebant. Ideo autem ab Coranis templum Aeolo ventorum regi ædificatum crediderim; quod cum in edito admodum loco ſita eſſet eorum urbs, omnibuſque ventorum injuriis expoſi-

expoſita; regia veluti ventorum ac proinde bene Aeoli domus videri poſſet, in qua templo & ſacrificiis ſtatutis Aeolo ventiſque cives ſupplicarent, ne noceret, perque ſuos fines atque agros æquus ventos dimitteret, iique incederent; neque ædificiis, arboribus, ſegetibus, &, quod caput eſt, corporibus civium nocerent. Erant enim in denſiſſima profanorum deorum turba dii multi quibus ſacrificabant, non quidem ut beneficia ab illis impetrarent; verum, quod mali eſſent, ne nocerent. Hujuſmodi autem erant Pallor, Febris, aliique. Quamquam Aeolum non tantum ne noceret, Corani coluiſſe dicendi ſunt, verum etiam ut lenibus auris aſpirans, Zephyro præcipue, quem & Favonium dixere, eorum prædia fœcundaret. ſiquidem eſt genitabilis aura Favoni. De Aeolo
21. Lib. 10. Odyſs. Homerus: 21.

Quæſtorem ſtatuit ventorum Juppiter illum;
Cum libet, & ſedet ventos & concitet idem.

Additque, utrem illum Ulyſſi maria omnia circum tot annos erranti tradidiſſe, quo venti omnes continerentur, nec niſi ad Ulyſſis imperium illinc exire poſſent. Unde quemcumque tandem ſuæ navigationi opportunum cognoviſſet, quoties opus foret, emitteret. quod elegantiſſimum commentum id tandem ſignificabat; Aeolum ventorum omnium ſcientiæ peritiſſimum, eorumdem curſum in membranis deſcriptum Ulyſſi tradidiſſe; quibus, quoties opus foret, inſpectis, qualem vitaret, qualemque ventorum exciperet ad felicem navigationem, cognoſceret. Porro ante Aeoli in ventos regnum, eoſdem ſine lege adeo vagos feroſque terris incubuiſſe, fabulati ſunt poetæ, ut altiſſimis impete diductis montibus maria ipſa eodem introduxerint, quæ terras longe lateque dividerent.

rent. Valerius Flaccus in Argonauticis, inter alia: 22.

22. *Argonautic. l. 1. v. 584.*

Has nimbi ventique domos & naufraga servat
Tempestas: hinc in terras latumque profundum
Est iter: hinc olim soliti miscere polumque
Infelixque fretum: neque enim tunc Aeolus illis
Rector erat, Libya cum rumperet advena Calpen
Oceanus, cum flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus undæ.

Ceterum ventis etiam ante Aeoli ætatem, Persas Scythasque cultum exhibuisse, apud Strabonem legimus; postque eam ætatem, Augustus 23. vota & fecit & reddidit ventis, ne Gallias infestarent. Nam Aeneæ celeberrimum sacrificium ventis pro incolumi navigatione factum omittam.

23. *Seneca Natural. Quæst. l. 5. c. 17.*

Jam vero & Fortunæ dedicatam ædem antiquitus Coræ fuisse vetustissima fama est eo loco quo nunc princeps omnium Templum Deo Optimo Maximo pietas Christiana dicavit. Visuntur ad hujus latus obscura quædam antiquitatis vestigia, & fragmenta quædam in novi templi excitanda turri collocata sunt; eruunturque in dies politi lapides, antiqui templi rudera. Hinc etiam marmorea inscriptio effossa est in hæc verba:

TI. CLAVDIO TI. F. ROMANO IVSTO
OMNIBVS HONORIBVS CORAE FVNCTO
ORDO POPVLVSQ. CORANVS. BENE-
MERITA EIVS.

Ita lapidem nuper ipse legi, quamvis aliter alii referant. Basis erat hic lapis statuæ Tiberio Claudio positæ, de quo infra opportunior sermo redibit. Ceterum, quod Fortunæ dedicatum hoc loco templum anti-

antiquitus foret, confirmat etiam inscriptio marmoreæ sedi, seu cavum dixeris, insculpta, ubi Fortunæ signum fuerat collocatum, sic:

FORTVNAE OMNIBVS ANTEPONENDAE
COLEN. EX SC. D
PEQ. Q. PLEB. DICA. MAE &c.

Exesam fœdeque mutilam hanc inscriptionem alii aliter reddiderunt. de ejus tamen primis literis convenit inter omnes. De cultu autem Fortunæ affatim egimus in Antiatum libro. Sunt quoque qui Dianæ sub Matris Matutæ titulo templum Coræ exstitisse crediderint, inscriptione illa adducti quam Gruterus affert in hæc verba: 24.

24. *Gruter. pag.60. prim. edit.to.1.tit.* juxta oppidum Coræ.

CERVARIA SP. F. FORTVNATA
MAGISTRA
MATRI MATVTAE
D. D.
PAVL. PONTIA. M. F. ET
CONSVA
PICATRICES.

Quam tamen Fabrettus sic melius reddidit: 25.

25. *Fabrett. n. 527. c. 4.*

PAVL. TOVSCIA M. F. ET
CONSVPPLICATRICES
CERVARIA SP. F. FORTVNATA
MAGISTRA
D. D.

Imbecillum nihilominus argumentum est hæc inscriptio, ut Dianam, sive Matutam, Coræ templum habuisse

buisse

buiſſe dicamus. Nam, præterquam quod inſcriptionis hujus certus locus a Scriptoribus non affertur; potuit ſacello alicui ſive aræ adjuncta fuiſſe, quæ Matutæ ſacra eſſent. Porro magnificentiſſimum omnium quotquot Coræ fuerint, templorum, Solis templum fuit, e regione templi Caſtorum latiſſime conſtitutum, eo loco quem nunc *aream* ſive *plateam Dorici* dicunt. Protendebatur autem in vicum qui *A Columnis* olim vocabatur, eo quod vetuſtarum columnarum fragmentis undique refertus eſſet. Hic capitella jamdiu prolapſa humi jacent circuitus palmorum viginti, in quibus Solis effigies quadruplex cernitur, quam ornatu vario elegans cælatura circumdat. quamquam autem illa ſitu & vetuſtate ſqualeant, unum tamen ex iiſdem integrum ſatis viſitur, quod operis elegantiam oſtendit. Hujus templi rudera late quibuſdam civium domibus aream dedere: cujus rei præclaro ſunt argumento columellæ multæ ſtriatæ e violaceo marmore fornices antiquarum molium ſuſtentantes, & muri opere reticulato conſtructi. quos inter in prægrandi marmore uncialibus literis manca hæc inſcriptio legitur: 26.

26. *MSS. Card. Corradini.*

L POBLILIVS M. F.
L. N---- PRO N. IIII VIR
PONTIFIC. LVC. PVBL.
DEOR. PVLVINARIA

Solis cultus apud profanos communis fuit. Perſæ præcipue illum veluti deorum maximum venerabantur, populique fere omnes quorum in Orientem regiones magis vergebant. Certe Jobus, ſingulare illud patientiæ miraculum, vaniſſimum hunc Soli cultum

jam inde ab ſua ætate a populis illis adhibitum fuiſſe, oſtendit iis verbis, quorum ſententiam non facile quivis aſſequatur: 27. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare; & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo: quæ eſt iniquitas maxima & negatio contra Deum Altiſſimum.* in quibus ritum quemdam Solem Lunamque adorandi deſcribit, apponendi ſcilicet ad os manum deoſculandique, & in eorum honorem ſubmittendi una cum totius corporis demiſſa admodum inclinatione. quem ſalutandi & obſequentem reverentiam exhibendi morem ab Aſiaticis populis nunc quoque adhiberi paſſim videmus. Ceterum Romæ ad Viminalis, Quirinaliſque collium radices eo loco quo nunc Columnenſium regulorum horti ſunt, ingentes reliquiæ exſtant templi illius quod Soli dedicaſſe Aurelianum Imperatorem, memorant: quod gemmis auroque exornatum ab eodem inſanis ſumtibus, tradit Vopiſcus. Perſico autem præcipue apparatu cultuque templum idem ornatum fuiſſe ex iis Vopiſci verbis apparet: 28. *Tunc illæ veſtes quas in templo Solis videmus, conſertæ gemmis, tum Perſici dracones & tiaræ; quod poſtea nec ulla gens detulit, nec Romanus Orbis vidit.* De Solis cultu in Apollinis templo *Mithræ* nomine Antii habito, fuſe in Antiatum libro ſcripſimus. Eumdem *Bacchum* quoque & *Liberum Patrem* appellatum aliquando, refert Macrobius; unde fit quod vetus inſcriptio:

27. *Job c. 31. v. 26. 27. 28.*

28. *Fl. Vopiſc. in Aureliano.*

LIBERO PATRI
SPIRA VLVBRANA
D. S. P. F.

quæ olim Coræ exſtabat, in templo Solis fuiſſe credita eſt. De ea nuper, cum de Veliternis ſuperiore

libro

libro ageremus. Aliud quoque Apollinis ſimul & Aeſculapii templum Coræ fuiſſe, compertum eſt, ubi nunc ædes ſacra excitata eſt cæleſtis militiæ Principi beatiſſimo Michaeli. Ibi enim patrum memoria in portarum limine hæc legebatur inſcriptio:

APOLLINI AESCVL. O---M----
------------------------RI-----
PRAE-----------DEOR---------

Quamquam autem ex tam mutila ac trunca inſcriptione vix aliam poſſis ſententiam colligere, quam, quod Apollini ſimul & Aeſculapio templum hoc loco dedicatum eſſet; plura tamen refert lapis alter eodem ferme detectus loco, his literis diſtinctus:

AESCVLAPIO ET HYGIAE
SACRVM.
C. OPPIVS C. F. LENAS
VI VIR ET AVG.
HONORATVS IN TRIBV
CL PATRVM ET LIBERVM
CLIENTIVM ADCENSVS
PATRONIS SANCTISSIMIS
COMMVNICIPIBVS SVIS D. D.
QVORVM DEDICATIONE
SINGVLIS DECVRIONIBVS
XIII AVGVSTALIBVS----XII ET
COLONIS COENAM DEDIT
L. D. D. D.

Quæ poſtrema verba ſic explicabis: *Libens Dat, Donat, Dicat*. De Cajo Oppio plura habebis infra, cum

de Coranorum illuſtribus familiis agetur. Illud tantum hic minime prætermittam; ſcilicet hunc Cajum Oppium nobiliſſimum Coranum civem ex Tribu Claudia, in dedicatione templi Aeſculapio & Hygiæ facta, ſumtuoſiſſimum epulum & cœnam tum municipibus ſuis, Decurionibus Auguſtalibus tredecim, & Colonis duodecim dediſſe, ex illis utique dapibus
29. Hor. Od. 37. l. 1. de quibus Horatius: 29.

------ nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, ſodales.

Latent autem circa locum ſubterranea pavimenta *muſivo* opere diſtincta; quædam quoque ſupra terram apparent, in areis recentiorum domorum ad paſſus ferme ſexaginta, ædem Caſtorum verſus euntibus. Ibidem quoque latitat quædam veluti ciſterna, ſive aquarum per montis meatus ac cuniculos huc confluentium receptaculum, vaſto fornice contectum, diſtincto pariter *muſivi* operis ſolo, quod plerumque ſtagnantes occupant aquæ. quarum conciſis undique diſruptiſque veteribus plumbeis ductibus, vis ingens per frequentes rivulos in vicinas vias diſpergitur. Horum plumbeorum ductuum fragmenta duo haud multis ab hinc annis effoſſa ſunt longitudinis palmorum decem in ſingula, immani adeo pondere, ut eorum alterum robuſtiſſimus quiſque ſuſtentare minime poſſet. De Aeſculapio quoque in Antiatum libro abunde quæcumque ſcitu digna ſunt, deſcripta a nobis reperies. Bacchum vero Coræ templum habuiſſe, vel certe ſacellum, aut ſignum aliquod eximium, innuit inſcriptus lapis ille quem dixi, inter antiquarum molium rudera detectum, prope ædem quam *Sanctæ Mariæ de Plebe* appellant, his literis:

LIBE-

LIBERO PATRI
SPIRA VLVBRANA
D. S. P. F.

Quæ ſingulares literæ ſic legendæ ſunt: *De ſuo poni fecit*, vel *De ſua pecunia fecit*, vel tandem *Dicavit ſua pecunia factum*. De hac femina nuper, cum de Ulubris ageremus, in calce ſuperioris libri mentionem fecimus. Hic tamen lapis non ſatis evincit, templum ab hac femina Baccho poſitum fuiſſe, cum potius lapidis ejuſdem figura baſim quamdam referat, cui Bacchi ſignum impoſitum olim fuerit. Denique, ut huic de Coranorum templis narrationi finem aliquando imponam; ſunt qui putant, Coræ Jani quoque templum exſtitiſſe eo loco quo nunc Deo Optimo Maximo in honorem Olivæ Virginis ſanctiſſimæ Anagninæ civis ædes ſacra conſurgit. Eo autem adducuntur argumento, quod marmorea quædam vetuſta inſcriptio ibidem exſtans ſatis quidem longa, verum plerumque fœde corrupta, in hæc tandem deſinit verba:

HAEC .N. VERA FIDES EST AB ALIENIS DIIS
ET IANO EORVM DIVERTANT.

Certi quidquam ſtatuere non auſim. quamquam & aliud argumentum adjungitur, repertæ ſcilicet ſtatuæ duas facies habentis, quam Jani bifrontis fuiſſe, nemo eſt qui dubitet. Atque hæc quidem de Coranorum templis habui quæ in medium afferrem. quæ omnia Coranæ urbis vetuſtam nobilitatem, ac majeſta-

jeſtatem oſtendunt. His ſepulcrales inſcripti lapides quidam addendi: quorum unus in parvæ urnæ fronte ad Divi Petri ſacrarium ſic habet:

DIIS MANIBVS
SATRIENAE Q. L.
SECVNDAE

Alter vero in Butiorum hortis ſic:

D. M. S.
L. VENVLEIO FORTVNATO
L. VENVLEIVS POLYCARPVS
ET VENVLEIA GRAPTE
PARENTES FECERVNT SIBI POSTERIS-
QVE SVIS.
----RONTE P. IIII. IN AGRO P. III.

Duæ quoque urnæ iiſdem in hortis aſſervantur exiguæ admodum cum literis, in altera quidem:

D. M.
TEIAE THREPTE SOROR: PIISSIMAE
CVNARIAE RVFINAE V. V.
GLYPTVS FRATER. QVI PI. FELIX VI-
VOS VIVAE POSVIT.

in altera vero:

CN. CALPVRNIVS .). L. OECOGENES
CALPVRNIA CN. L. FAVSTA
CN. CALPVRNIVS CN. L. STEP'ANVS.


Deni-



Dianæ uenatricis Figura, quæ Coræ in Butiorum Hortis antiquo opere marmori insculpta habetur.



Mulieris supplicatricis imago marmori insculpta, ut extat, Coræ ijsdem in Hortis.



Ara Antiqua in ruinis Templi Herculi uel Dianæ olim dicati reperta, Coræ; ubi modo extat in Aede Diuo Petro Sacra, inseruitque Fonti Sacrosancti Christianorum Lauacri.



Romæ Antiquæ Statua ex purpureo marmore
quod porphyreticum appellant; quam Coræ in
Templo Castorum erutam memorant. Visitur hodie
Romæ in Area Capitolina.



Denique in alia parva marmorea urna:

L. LVCRETI L. F.
PAP. VITVLI
VIX. AN. XX.

CAPUT III.

De Coloniis Coram deductis.



LOCI natura quo Coranam urbem primi ejusdem auctores condiderunt, ea fuit, ut populos conterminos ad eodem deducendas suorum Colonias non semel allexerit. Delectatos crediderim cæli ingenio quo urbs hæc fruitur, solique felicitate qua eadem gaudet; præcipue vero præsidiis illis quibus eam natura munivit, rupe scilicet asperrima cui insidet, & scissura montis qua undique circumducitur. Certe Albani huc Coloniam suorum deduxerunt; Etrusci pariter; mox Latini; Romani denique omnium novissimi. De Albanis quidem Dionysius memoriæ prodidit, eos 1. regnante Albæ Latino Silvio Coram inter ceteras Latinas urbes quas enumerat, nosque hujus Libri capite primo retulimus, suorum Coloniam deduxisse; quod Virgilio Augusti gratiam captanti ansam præbuit, Albanos, a quorum Regibus Augusti progeniem derivabat, Coræ conditores appellandi. Etrusci vero quando Coram deduxerint suorum Coloniam, res omnino in incerto est. Deduxisse quidem eos huc Coloniam, Inghiramius refert; ait enim, 2. Tibur & Coram in Latio Tuscorum Colonias fuisse, Coramque Cortonensibus, sive Coritiis, Etruscis

1. In lib. Antiq. Rom. fol. 177.

2 Lib. 2. Antiq. Etrusc. f. 138.

ſcis populis paruiſſe. Novi equidem, Scriptoris hujus auctoritatem ab eruditis quandoque elevatam fuiſſe: at pariter ſatis novi, patronos eidem non defuiſſe, qui quæcumque ille ſcripſit, tamquam Sibyllæ folium excipienda eſſe, pluribus argumentis contenderunt. Vim potiſſimam hujus conjecturæ in nominis ſimilitudine, quo urbs utraque *Cora* & *Coritum* appellata eſt, poſitam eſſe crediderim. Latina certe poſtea Colonia fuit, quod luculento Livii teſtimonio ſatis conſtat. ſiquidem Agrippa Menenio, P. Poſthumio Conſulibus, *Duæ*, 3. inquit, *Coloniæ Latinæ Pometia & Cora ad Auruncos deficiunt*. Jam vero Latina, ſive Latinorum Colonia atque Albanorum eadem minime fuit, quod aliquis fortaſſe putet. Eæ enim Coloniæ Latinæ dicebantur, quæ Duumviros ad Latinorum concilium Ferentini indictum ad radices Montis Albani quotannis Feriis Latinis mittebant, ibidemque Latiali Jovi ſacrificio peracto carnem, ſive viſcerationem, ſumebant, & antiqua inter ſe fœdera renovabant. Hoc autem diu poſt Albanos exſtinctos Reges duravit. Albanorum autem Coloniæ eæ fuerunt quas Albani Reges in devicta oppida deducebant, quo diuturnior ac firmior parta de illis victoria eſſet. Ceterum, præclarum admodum jus Latinarum Coloniarum fuit. Jure enim Latino 4. Coloni hujuſmodi una cum Civibus Romanis ad ſuffragium ferendum in Comitiis admittebantur, & fœdere conceſſum erat Latinis communem cum Romanis Reipublicæ gerendæ curam habere. Colonia tandem Romana deducta eſt Coram, Urbis Conditæ anno ſupra quinquageſimum primum ducenteſimo. cujus rei, præter Merulæ 5. auctoritatem ſatis aperte hoc teſtantis, quamplurima in teſtimonium adduci poſſunt. Decuriones in

3. *Liv. l. 2.*

4. *Panvin. de Colon. ex Dionyſ. l. 8.*

5. *Paul. Merul. Coſmograph. parte 2. l. 4. fol. mihi 625.*

in Romanis Coloniis Rempublicam administrasse dictum est sæpius. Decuriones autem Coræ fuisse constat ex allata dedicatione Aesculapio facta a C. Oppio Corano, in qua disertis verbis illum cœnam atque epulum singulis Decurionibus & Colonis dedisse legimus. Adde quod Coloniæ Romanorum Romæ ipsius, unde dimittebantur, imaginem in administranda Republica referebant, ac proinde, quemadmodum Romæ, ita & in Coloniis res urbanæ per Prætorem gerebantur, cujus erat civium caussas cognoscere. Prætorem autem Coræ fuisse nos docet inscriptio Corana, quam Gruterus *6.* affert in hæc verba: *6. Pag. 806.*

SERVEIS CONTVLIT SESTERTIVM
OMNIBVS. PRÆTORI QVINQVE. MAGISTRATVI
DECEM DEDIT SESTERTIA SVO SVMPTV.

Unde etiam habes, quod Coræ magistratus fuerit, qui tamen nullus in pagis erat, cum solæ civitates forum haberent, in quo magistratus jus dicerent. Rursus Corana civitas in ordines quosdam digesta erat, Romanæ instar Reipublicæ. siquidem Tiberio Claudio ordo populusque Coranus ob ejus merita statuam posuisse legitur, in ea quam supra in medium adduximus, inscriptione. Tandem in lapidibus multis Duumviri, Quatuorviri, Seviri, ac demum etiam Augustales Coræ fuisse leguntur. Qui magistratus, quæque Collegia in Romanis Coloniis fuisse, passim apud Scriptores reperimus. Quæ quidem omnia præclara argumenta sunt ad id quod contendimus conficiendum, statuendumque omni dubio procul; Coranam urbem post Albanos, Etruscos, & Latinos hospitio receptos, etiam Romanæ Coloniæ titulo atque honoribus insignitam claruisse.

CAPUT IV.

De Jure Municipali Coranorum.



RAETER jura Romanarum Coloniarum, quæ quidem ſatis ampla ac præclara fuerunt, habuit Cora jus quoque Municipale, quod fuit in paucis ampliſſimum. Siquidem Cora Municipium fuit aliquandò. quod luculentis teſtimoniis mox confirmabo. Municipia autem illæ erant urbes quæ ſponte ſua in Romanorum fidem, amicitiam atque clientelam ſeſe dabant, atque inde *Municipia* dicebantur, quod ſine vi atque armis, ac veluti munere caperentur. Hujuſmodi civitatibus veluti ſociis ac fœderatis permittebant Romani, ſuis, quibus antea, uti legibus: nec aliud ferme eiſdem imperabant, quam ut in fide Romanorum perſeverarent; ut ne Romani nominis hoſtibus auxilio ſeſe adjungerent; cumque opus foret, annonam ac militem Romanis pugnantibus ſufficerent. Porro Coram Municipium fuiſſe Livius 1. in primis memorat. Siquidem bello Punico ſecundo, cum Romanus Conſul atque Imperator *Hannibalem*, inquit, *Latina via iturum ſatis comperiſſet, ipſe per Appiæ Municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Coram, Lavinium præmiſit, ut commeatus paratos in urbibus haberent*. Panvinius 2. quoque prodidit, in vetuſtis Epigrammatibus, nempe inſcriptionibus, Municipiorum Italicorum Seguſinos, Interamnates, & Coranos inter cetera recenſeri. Harum inſcriptionum duas Coræ detectas hic damus: 3.

1. *Liv. l. 6. dec. 3.*
2. *Cap. 2. de Municip.*
3. *MSS. Card. Corradini.*

TOV-

TOVTIAE
C. LEPANI Q. CLIDI
MATRI
EX S. C.
MVNICIPIVM OLIM
OB BENEFICIVM
ET LIBERIS

Statuam huic feminæ poſitam a Corano Municipio crediderim ex Senatuſconſulto. Fuit quippe Coræ aliquando Senatus. Niſi forte ex Romani Senatus conſulto id factum quis malit dicere. Perperam tamen; cum Municipium Coranum huic feminæ ſtatuam ob ſibi conlatum beneficium poſuiſſe dicatur ex Senatuſconſulto, ſui ſcilicet Senatus conſulto. Quamquam illam poſuiſſe potuit Municipium Coranum etiam ex Romani Senatus conſulto; ſine quo nefas in ſubditis urbibus ſtatuas alicui ponere, aliquando fuit. Ut ut res habuerit (nam pro alterutra ſententia non pugno, cum quid certi ſtatuam, omnino non inveniam) hoc tene, nam certum eſt; ex hac inſcriptione conſtare, Coram Municipium fuiſſe. Sed & illa dedicatio Aeſculapio atque Hygiæ facta a Cajo Oppio, quam, ubi de templis Coranorum egimus, in medium attulimus, communicipum Oppii ipſius mentionem facit ſic:

PATRONIS SANCTISSIMIS
COMMVNICIPIBVS SVIS DD

Unde Municipium fuiſſe eam urbem in qua C. Oppius ſeſe *municipem*, & cives ſuos *communicipes* vocat, ſatis apparet. Itaque propriis legibus etiam Romana vi-

gente Republica aliquamdiu Corani usi sunt. Qu... etiam Romanæ ipsi Reipublicæ a Coranis leges aliquando mutuari placuit. quod æquitatis ac justitiæ, rectissimæque Coranorum disciplinæ gloriosissimum est testimonium. Res sic habuit. Cum diu multumque Romæ Patres inter & plebem certatum disputatumque esset, cuinam legum ferendarum auctoritas danda; num penes Patres, num penes plebem, num denique penes utrosque simul ea facultas esse deberet; nec tamen quid potissimum sanciendum, inter eos conveniret; placuit universis Legatos Athenas mittere, qui inclytas Solonis leges in tabulis describerent, 4. Romamque deferrent, ut ad illarum normam Respublica administraretur. Missi Athenas tres Legati, qui inter Decemviros anno insequenti adlecti sunt, Solonis leges Romam deportarunt. Mox creati sunt Decemviri novus ad eam diem in Romana Republica magistratus, ob discordiam civium Patricii ac plebeji ordinis intestinam & irreconciliabilem, odiumque acerrimum adversus Consules. Anno itaque trecentesimo secundo ab Urbe Condita, quo novus hic Reipublicæ administrandæ modus cœpit, tulerunt Decemviri ad populum leges, quas Athenis Legati deportaverant decem tabulis descriptas; reclamatumque est ab universa multitudine duas tabulas desiderari, quas addi oporteret, ut duodecim tabulis universa Romanarum legum summa contineretur. Ne itaque Athenas rursus longo nimis itinere mittendi Legati essent, a vicinis civitatibus, prout unaquæque justitiæ, æquitatis, severæque disciplinæ fama celebris esset, supplementum legum accipere placuit. A Faliscis itaque acceptæ quædam, quos exinde *æquos* a Virgilio nominatos Servius 5. Grammaticus ejus

4. *Liv. l.* 3.

5. *In* 7. *Aeneid. ad ill.* Aequosq. Faliscos.

ejus interpres exiſtimavit. A Sutrinis etiam acceptæ nonnullæ, multæ 6. a Coranis, qui tamen ſuas cum populo Romano leges communicare antea noluerunt, quam cum eodem ſocietatem iniiſſent. Qua per mutuos gentis utriuſque Legatos inita; tum demum leges ſuas, quibus uterentur, Romanis permiſerunt. Tanta Coranorum æquitatis ac juſtitiæ fama apud Romanos aliquando tenuit. Itaque aliud aliis temporibus jus fuit, quo Corana civitas uſa eſt. A primis enim ſui exordiis ad uſque Albanorum regnum, qui primam in hanc urbem Coloniam deduxerunt, ampliſſimo liberæ omnino civitatis jure gaviſa eſt; deinde Coloniarum, quod a liberarum civitatum jure longe diſtabat. Rurſus municipale ſibi ab Romanis jus acquiſivit, quod Coloniarum earumdem jure amplius multo fuiſſe diximus. Præfectura tandem evaſit Cora, quæ omnium infima ac incommodiſſima Italicarum urbium conditio erat. Porro quod Cora Præfectura fuerit, teſtatur Panvinius 7. his verbis: *Præter eas Præfecturas quas ex Feſto digeſſi, Coræ Præfectura Claudia*. Apud Romanos vero erant Præfecturæ urbes Italiæ cum ſuis agris, 8. quarum populi quod iniqui ingrative erga populum Romanum fuiſſent, datamque fidem non ſemel fefelliſſent, tandem ubi in Romanorum poteſtatem venerant, propriis legibus, iiſque magiſtratibus qui imperium antea & juriſdictionem exercebant, ſpoliabantur, ac per Præfectum in annos ſingulos ab Roma miſſum deinceps regebantur. Hic autem ex libito leges ferebat; unde grave admodum illius regimen populis vel juri Coloniarum, vel etiam municipali juri aſſuetis, erat. Fuit enim Præfecturæ formula a Provinciæ formula non multum abſimilis. nam quemadmodum in Provin-

cias

6. *In Mss. Vatican. referente Fam. Nardino.*

7. *De Colon. Rom. ex Strab. l. 5.*

8. *Sigon. de Antiq. Jure Ital. l. 2. c. 10.*

cias Prætores quotannis Roma missi, illas ex libito instituebant, sic in Præfecturas missi Præfecti, eas prout magis e Romana Republica futurum videretur, administrabant. Ceterum cum Coræ Præfectura Claudia fuisse dicatur, hanc urbem in Præfecturæ ordinem redactam ab Imperatore Claudio crediderim. Nunc quidem in Pontificis Summi ditione censetur Cora; paret tamen Senatui Populoque Romano, qui illam cum aliis simul tribus oppidis ab ipso Pontifice in quoddam veluti patrimonium, veterisque majestatis vestigium dono accepit, iisdem ferme conditionibus quibus reguli ceteri ac optimates a supremo Principe Regibusque magnis ditionis suæ oppida regenda suscipiunt.

CAPUT V.

Coranorum res bello gestæ.



CORANOS jam inde a primis suæ urbis exordiis belli militiæque studiis claruisse, toties repetitæ 1. Coranæ urbis clades dubitare non sinunt. Quamquam enim clades accipere gloriosum minime sit; bellicosi tamen & fortis populi est cladibus usque adeo non frangi, animisque non destitui, ut etiam quasi oleo in ignem infuso exardescant magis, majorique impetu adversus victorem certamen suscipiant. Meminerimus itaque, ter veluti conditam Coranam urbem fuisse; tanta enim primi illi antiquissimi ejus cives bellandi cupiditate exarserunt, ut in ruinam excidiumque ultimum se suamque urbem trahere, quam hostibus loco cedere vivi, grave minus existimaverint.

1. *Cap.* 1. *hujus lib.*

rint. Id etiam Coranorum bellicæ laudis argumento esse potest, quod Volsci nominis essent, qui trecentos 2. ipsos annos continuis ferme bellis Romanos non sine ingentibus idemtidem cladibus distinuerunt. Propertius etiam 3. & Lucanus Vejis Coranos adjungunt bellicosissimis populis, quorum gloria maxima trecentos Fabiæ Gentis inclytos bellatores interfecisse, tantumque negotii Romanis sæpius victis facessisse, fuit. Ceterum quæ singillatim bello præclara Corani gesserint vel ante Romæ cunabula, vel postea ad usque Tulli Hostilii regnum, nusquam apud Scriptores commemoratum reperio. Tullo autem Hostilio Romæ regnante, cum jam per Horatiorum & Curiatiorum singulare certamen imperium in Albanos Romani ex fœdere adepti essent, Latinos, qui Albanorum vel subditi vel certe socii essent, ad Romanorum imperata facienda Tullus Rex adducere jure veluti ac mantissæ loco decrevit. Itaque Legatos 4. in triginta Latinorum Colonias dimisit, qui Colonis indicerent ut in Romanorum se fidem ac potestatem tamquam victoris populi traderent. Legatis tamen a nulla civitatum peculiare quidquam responsum est, sed indicto publico gentis Concilio Ferentini, (quod in radicibus Albani montis oppidum quondam fuit) ibi Coloniarum omnium unanimi suffragio Romanis cedendum minime esse decretum est. Pugnandum proinde pro mœnibus patriis, pro aris ac focis defendendis, atque a Romanorum tyrannide prohibendis, strenue ad extremum usque spiritum decertandum. Duos autem Imperatores creari placuit, penes quos auctoritas omnis & arbitria essent belli regendi, quique, delectu ex omnibus fœderatis civitatibus habito, contra Romanos validissimum instructissimumque suorum exerci-

2. *Dionys. & Liv. Dec. 1. plur. loc.*

3. *Vid. cap. 1. hujus lib.*

4. *Dionys. Antiq. Rom. l. 3.*

exercitum educerent. Creati itaque Ancus Publicius Coranus, & Spurius Vecilius Lavinienſis. Atque hoc in cauſſa fuit cur Romani contra cognatos populos arma caperent. Porro Ancus Publicius Coranus iſte Latinorum Imperator, Coranos bellica laude illuſtres tunc temporis fuiſſe deſignat. Publiciæ Coranæ Gentis auctorem eumdem fuiſſe exiſtimaverim. certe ejus Gentis antiquiſſimus is eſt, quemque primum omnium Hiſtorici nominaverint. Ceterum, quamquam Latini his Imperatoribus ſtrenue pugnaverint, Romanæ tamen & virtuti & felicitati concedere coacti ſunt. Exactis deinde jam Roma Regibus, Agrippa Menenio, P. Poſthumio Coſs. eo anno quo Valerius Poplicola mortuus eſt, quem matronæ æque ac Brutum Ultorem publico luctu ſunt proſecutæ, Corani 5. cum Pometinis ad Auruncos a Romanis defecere. Erant autem Aurunci Latini populi fortiſſimi Coranis fere agro contermini, qui Romanis bellum indixerant. In illos itaque, ſocioſque Coranos, & Pometinos vis belli a Romanis converſa eſt; fuſoque ingenti exercitu, qui ſe ingredientibus fines Conſulibus ferociter obtulerat; omne Auruncum bellum Pometiam compulſum eſt. Nec magis poſt prœlium, quam in prœlio cædibus temperatum, & cæſi aliquanto plures, quam capti. Captos quoque paſſim trucidaverunt. quin nec ab obſidibus quidem, qui trecenti numero a Cora & Pometia principum liberi accepti fuerant, Appio Claud. & P. Servilio Coſs., ſuperiore Volſcorum bello, ira victoris abſtinuit. Attamen clade tam fœda accepta Aurunci ſociique Corani adeo animum non deſponderunt, ut inexpiabili odio inſequenti ſtatim anno bellum renovaverint: licet Romanis ad terrarum orbis imperium divinitus vocatis, ac properantibus, poſt repe-

5. *Liv. l. 6. dec. 1.*

repetita prœlia ac frequentes clades, perpetua demum victoria concesserit. 6. Bello autem Punico secundo, deficientibus plerumque Campanis præ timore ad Hannibalem, & ex Latinis quoque satis multis ejus partes secutis, Corani in Romanorum fide mansere; eisque tum commeatu, tum milite auxilio venere. Commeatum quidem memorat Livius his verbis: *Inde cum Hannibalem Latina via iturum satis comperisset*, (Romanus Imperator) *ipse per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Coram, Lavinium, præmisit, ut commeatus paratos in urbibus haberent*. Militem vero eo bello Coranos Romanis tribuisse Silius memoriæ prodidit. Siquidem inter recensendum auxilia quæ populus quisque Romanis adversus Hannibalem pugnaturis misisset, etiam Coranos annumeravit; Hannibali namque ex Alpibus descendenti Scipionem Consulem occurrisse ait cum fortissimo Italorum robore, sic: 7.

6. Liv. dec. 3. l. 6.

7. Sil. Ital. l. 4.

Dumque ea Gallorum populi dant funera campo,
Accitas propere castris in prœlia Consul
Raptabat turmas, primusque ruebat in hostem
Candenti sublimis equo. trahit undique lectum
Divitis Ausoniæ juvenem, Marsosque, Coramque,
Laurentumque decus, jaculatoremque Sabellum.

Et libro octavo Romanum rursus recensens exercitum, Coranos illi milites adnumerat:

Quos Cora, quos spumans inimico Signia musto.

Bello quoque quod adversus Spartacum gladiatorem extremis fere Romanæ Reipublicæ temporibus gestum est, Coranorum virtus emicuisse videtur. Siquidem Thrax ille gladiator una cum consilii sociis nihiloque melioris originis Chryso & Oenomao, cum Lentuli gladiatorium ludum Capuæ effregisset, ante

X cete-

cetera Campaniæ oppida, quæ fœde pervagatus diripuit, 8. Coram cum primis vaſtavit. Quod illum iccirco feciſſe dixerim, quia hæc urbs maximo Latinis oppidis præſidio tunc temporis eſſet, ob civium militumque ſuorum fortitudinem. Ceterum poſtquam gladiator iſte cum ingenti pariter gladiatorum manu Campaniam, Latiumque magnam partem diripuiſſet, in Apennino Lentuli exercitum cecidiſſet, apud Mutinam Caji caſtra deleſſet, jam jamque de ipſa Romana Urbe invadenda cogitaret, a Licinio Craſſo pulſus fugatuſque atque in Brutiis, extremo Italiæ angulo, concluſus, dum fruſtra ſubitariis ratibus excitatis fretum Siculum parat trajicere, in primo ipſe agmine fortiſſime dimicans egregius quaſi Imperator, occiſus eſt. De illo Horatius: 9.

8. Flor. l. 3. c. 20.

9. Od. 14. l. 3.

I, pete unguentum, puer, & coronas,
Et cadum Marſi memorem duelli;
Spartacum ſi qua potuit vagantem
Fallere teſta.

Hanc de Coranorum rebus bello geſtis narrationem claudat C. Egnatius Felix miles Coranus, qui viginti militavit annos, & ob res ſtrenue geſtas ſepulcrum ſibi ac monumentum a commilitonibus poni, meritus eſt. Exſtat adhuc Coræ lapis in vicinia oppidi effoſſus cum inſcriptione: 10.

10. MSS. Card. Corradini.

D. M.
C. EGNATIO FELICI MILITI COHOR. VRB.
MILITAVIT ANNIS XX.
TRABIVS SERATVS ET MARSIVS FELICIANVS
HAEREDES
AMICO OPTIMO BENEMERENTI
S. T. T. L.

Quæ

Quæ ultimæ notæ significant: *Sit tibi terra levis*; notum & commune votum quod profani amicorum Manibus faciebant. Siquidem altissime eorum plerisque animo infixum erat, Umbras, Manes, sive animas mortuorum, una cum corporibus conditis in sepulcro morari. precabantur proinde numina ut amicorum Manibus terra levis esset, ne gravi nimium ejusdem pondere opprimerentur. Eodem loco quo inscriptus hujus militis lapis inventus est, fuit & excavatum ejusdem sepulcrum intra tophum, ex quo ejus ossa eximiæ magnitudinis effossa sunt, unde proceræ admodum staturæ hunc militem exstitisse compertum est. ejusmodi fuisse Romanos milites Philippensi civili bello cæsos Virgilius prodidit elegantissimis his versibus: 11. *11. Georgic. l.1. circa finem.*

Scilicet & tempus veniet cum finibus illis
Agricola incurvo terram molitus aratro
Exesa inveniet scabra robigine pila,
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

CAPUT VI.

De Coranis Familiis Romæ illustribus.


AM urbem quæ Orbis terrarum dominæ Reipublicæ leges olim commodaverit, eidem ex suis civibus cives dedisse, mirandum minime est. Cora igitur, a qua Romanos leges aliquas mutuatos narravimus, Romanis quoque familiis numerum & splendorem civibus suis auctoribus auxit. Quamquam autem fere omnium memoria penitus interierit, Publi-

ciam tamen & Oppiam Gentem inter Romanas illustres Coranas origine fuisse, in comperto est. Calviam quoque & Coranam, licet earum res gestæ descriptæ ab Historicis non sint, illustres nihilominus Coranæ urbis familias fuisse, certis admodum argumentis deprehenditur. In singulis aliquid hic immorandum. Et Publiciæ quidem ad Ancum Publicium Coranum originem referimus, qui princeps jam tum apud suos erat dum Romani de imperio cum Albanis Regibus decertarent. Albanis autem, ex fœdere, Romanorum imperio adjunctis, cum Tullus Hostilius Latinos reliquos Albanorum vices sequi postularet, & Romanorum imperata facere, ab universis 1. Latinorum fœderatis civitatibus cum Spurio Vecilio Laviniensi electus est Ancus Publicius Coranus Imperator, qui ne quid Latinorum civitates detrimenti caperent, prospiceret. Universum Latium in ejus potestate futurum: quidquid ille e Republica fore statuisset, universos exsecutioni mandaturos. Et hunc quidem Publiciæ, sive Publiciæ, Gentis auctorem facimus, cum eo antiquior nullus Gentis hujus occurrat, & nomen congruat, & quamplurimas Romanas illustres familias a Latinis oppidis originem traxisse, plane constet. Ceterum *Publicia* Gens eadem fuit ac *Poblicia*, ut *Divus* idem ac *Divos*, & *Duumviri* iidem ac *Duomviri*, apud veteres Latinos fuerunt. A *publico* derivatum hujus Gentis nomen, Sigonius 2. censet; eo quod familiæ princeps boni publici amantem se singulariter olim præbuisset. Fuit autem hæc familia plebeja quidem, sed Consulari quoque dignitate claruit: ex ea T. Publicius primus e plebe Augur una cum collegis quatuor creatus est. Claruit exinde L. Publicius Tribunus plebis avus Lucii & Marci, qui simul

1. Dionys. l. 3.

2. De Famil. Rom.



Constantinus Serangeli delin. Roccus Pozzi Sculp.

ſimul Aediles plebis Floralia, ludos maxime liberos, inſtituerunt. Aedem quoque Floræ juxta Circum maximum hi exſtruendam, & Clivum Romæ, qui de eorum nomine *Publicius* eſt dictus, ſternendum curaverunt. Juvat hæc ex probatiſſimis Scriptoribus fuſius hic exponere. 3. M. itaque Poblicius, qui Lucii filius & Lucii nepos in Faſtis deſcribitur, fratrem habuit Lucium Poblicium, quocum ſimul Aedilis plebis eſt factus, Urbis Conditæ anno tertiodecimo ſupra quingenteſimum. Duobus autem annis ante Tribunatum plebis, V. C. anno quingenteſimo ſexto, Provincialem Quæſturam geſſerat. Cum autem una cum fratre Aedilis plebis creatus eſſet, pecuarios (quoſdam ſcilicet pecorum paſtores) ad populum reos adduxit, eo quod agrum populi Romani publicum occupaſſent, & uſurpaſſent. Hi peculatus damnati multam pecuniæ vim Aedilibus numerare coacti ſunt. Ex multatitia autem illa pecunia Poblicii fratres ludos Floræ faciundos inſtituerunt, & ejus deæ ædem juxta Circum maximum exſtruendam curarunt. Quam vetuſtate labentem reparavit Auguſtus, Tiberiuſque dedicavit. Porro M. Poblicius 4. nummum percuſſit, in quo publici populi Romani agri a pecuariis vindicati memoria exſtaret. In eo ex parte quidem anteriori caput Genii criſpo capillo apparet, in poſteriori vero ovis ſive aries, cum literis: M. POBLICIVS MALLEOLVS. Per Genium autem, populi Romani Genium tutorem vindicatum exprimere voluit Poblicius; per ovem vero ſive arietem, a pecuariis redemtum agrum pecunia imperata, quæ a *pecore*, ſive *pecude*, nomen deſumſit, eo quod antiquitus proventuum pars maxima e pecudibus colligeretur. Ceterum, ex ea pecunia Clivum quoque de

ſuo

3. *Varr. l. 4. de Ling. Lat. Tacit. Ann. l. 2.*

4. *Vaill. de Famil. Rom. t. 2. in* Poblicia.

ſuo nomine appellatum Poblicii Aediles ſternendum curaverunt. Is erat, per quem ex Velia antiquæ Urbis regione ad Aventini radices jacente, in ipſum Aventinum aſcendebatur. Cum enim antea invia ex ea parte rupes, Aventinus mons eſſet, perviam Aediles fecere, ut ex Velia in Aventinum vehicula quoque commodiſſime duci poſſent. De Clivo Publicio O-
5. Faſt. l. 3. vidius: 5.

Parte locant Clivum, qui tunc erat ardua rupes,
Utile nunc iter eſt, Publiciumque vocant.

Ex Aedilitate ad Præturam Urbanam acceſſit M. Poblicius V. C. ann. DXIX. vel ut alii numerant, XX. poſt duos autem annos Conſulatum cum M. Aemilio Lepido collega geſſit. Uterque hic Conſul contra Sardos, qui defecerant, miſſus, eoſdem in priſtinam fidem reduxit. Unde Poblicii minores trophæa in ſuis denariis expreſſere. Quod autem M. Poblicius Malleolus in denario nuncupetur, & ceteri deinceps ejus poſteri eodem hoc cognomine ſint appellati, hinc factum memorant, quod ex Poblicia Gente aliquis uſum mallei adhibendi peculiarem invenerit. Certe & ipſum malleum in nummis quibuſdam Poblicii tamquam quid ſuæ Gentis peculiare ac glorioſum repræſentarunt, ut infra apparebit. Jam vero & Cajus Malleolus ille ex Poblicia Gente fuit, quem e monetalibus Triumviris unum fuiſſe, percuſſus nummus
6. Vaill. in Poblicia. deſignat, 6. in quo ex antica parte caput Romæ galeatum apparet cum literis: C. MALLEOL. ex poſtica vero, figura nuda bigis vecta haſtam vibratura, clypeum & baculum oblongum tenens, in cujus vertice caput aſininum apparet cum notis infra: L. LIC. CN. DOM. Scilicet, C. Poblicius Malleolus una cum Lucio Licinio & Cneo Domitio Triumviris moneta-

monetalibus hunc nummum percuſſiſſe, ſignificatur. Quamvis autem hujus ætatem ſtatuere minime queam ex nummi literis, tamen, quantum conjectura aſſequi poſſum, C. Malleolum hunc patrem C. Malleoli Cn. Dolabellæ Quæſtoris fuiſſe, crediderim. Hic cum ſevere nimis atque avare Quæſturam adminiſtraret, in ipſo magiſtratu 7. occiſus eſt. Ad hunc duos denarios referimus, in quorum altero caput Honoris laurea coronatum ex adverſa parte cum literis: L. METEL. A. ALB. S. F., ex averſa Honos ſedens ſuper clypeorum acervum haſtam tenens, & a Victoria alata pone eum ſtante coronatus, apparet cum literis: C. MAL. in altero vero caput pariter Honoris laureatum in anteriori parte, at in poſteriori, Honos idem clypeis inſidens, & a Victoria coronatus, cum literis: C. MAL. exhibetur. Quos nummos a C. Poblicio Malleolo percuſſos, cum ante Quæſturam reficiendis ædibus ſacris Triumvir eſſet cum Lucio Metello & Aulo Albino Spurii filio collegis, indicatur. Honoris autem ædem ab iis reſtitutam, Honoris imagines oſtendunt. Hanc extra portam Collinam fuiſſe, Ciceronis teſtimonio conſtat: ſecundo namque de Legibus *Sic noſtis*, inquit, *extra portam Collinam ædem Honoris*. Ad hanc autem Honoris ædem aditus per Virtutis templum patebat, quo ſapientiſſime ab Romanis ſignificatum, ad verum honorem conſequendum, nonniſi virtutis viam calcandam eſſe: ideo caput Honoris lauro coronabatur, & Virtus galea erat inſignis, quia bello honos quærebatur, nec niſi victoria parta laurus concedebatur: unde & reliqua nummorum iſtorum inſignia quid ſibi velint, plane conſtat. Idem autem C. Poblicius Malleolus cum Dolabellæ Ciliciæ Prætoris Quæſtor eſſet, & alios

7. *Aſcon. Pædian. in Verr. 3.*

lios

8. *Vaill. in Poblicia.*

lios cudit denarios, 8. in anteriore quorum parte malleolum, insignia Gentis suæ, & incudem ex altera expressisse videtur, ut ostenderet, aliquem ex Poblicia sua Gente malleum primum vel mallei peculiarem aliquem usum, invenisse, & antiquitatem quoque generis inde significaret. Hujusmodi denarii alii quidem habent caput Romæ galeatum, in cujus vertice malleolus est; & ex aversa parte incudem, supra quam hæ notæ: C. MAL. & viri nudi effigiem cum strophio, pede thoraci imposito, hastamque tenentis ante trophæum. Alii vero eadem repræsentant, præter viri nudi effigiem in aversa parte non quidem thoraci, sed galeæ pedem imponentis, & ante trophæum ac proram navis stantis. Quæ omnia de Sardis trophæa a M. Poblicio Consule, de quo antea dictum est, parta indicant. Vir enim in nummorum uno pedem thoraci, in altero vero galeæ imponens, bellum a M. Publicio feliciter confectum, declarat. Prora autem, navalia de iisdem Sardis spolia relata significat. Hujus Caji Poblicii Malleoli, Dolabellæ in Cilicia Quæstoris, fratrem fuisse Marcum Poblicium illum qui Legatus Pro-prætore Cn. Pompeji Magni fuit in Hispania, quidam autumant. Certe 9. exstat nummus in quo caput Romæ galeatum apparet cum literis: M. POBLICI. LEG. PRO. PR. ex averso autem latere Pompejum exhibet militari habitu, pede supra proram imposito, qui palmæ ramum ab Hispania provincia accipit, duo spicula & breve scutum læva gerente. Porro Hispaniam in quinquennium ab Senatu Pompejo decretam narrat Dio, 10. ideo Pompejum e navi egredientem exhibet nummus, cui Hispania palmam, id-est victoriam, quasi illam plane subacturo, aut motus ejus coercituro, porrigit. Poblicius autem Cn. Pom-

9. *Vaill. ubi sup.*

10. *Lib. 40.*

Pompeji Legatus Pro-prætore dicitur, qui exercitui ejus summo cum imperio præerat 11. in partem curæ militaris, aut regendæ Provinciæ assumtus. Iccirco denarios ad usum Provinciæ percussit. Pompejum vero in iis Imperatorem appellat, non quod ex Hispania titulum tunc retulerit, cum in eam recens advenisset, sed quod eumdem titulum jam ex Africa reportaverat. Ceterum Hispania in hoc nummo depicta est, qualis in Galbæ denariis cernitur, cum spiculis & parvo clypeo, seu cetra, quibus armis Hispanos usos, luculento Livii testimonio satis constat. Quamquam autem non ex Malleolorum Familia, sed ex Bibulorum, fuerit Cajus Poblicius Quinti filius Quæstor, ut Quinti prænomen Malleolis extraneum indicat; e Poblicia tamen Gente, quam describimus, fuisse crediderim. Hic patrem habuit Q. Poblicium Bibulum Prætorem Provincialem V. C. anno DXC. vel DIXC. Ipse vero Quæsturam suscepit an. DCXVII. vel XVIII; ut videtur, sub Prætore Achajæ, in Provinciam Romanam a Mummio jam a decem annis redactæ. In ea Quæstura 12. nummum percussit Poblicius, in quo caput Romæ galeatum, pone quod sunt notæ: ROMA Q. idest *Quæstor*. ex aversa autem parte, Hercules suffocans leonem, cui ad latus pharetra, pro pedibus clava: ad indicandum Herculis laborem primum, nempe leonem suffocantis, in media Græcia Nemeæis ludis sacris antiquissimis, hoc anno celebratum. Ex Quæstura Provinciali C. Poblicius ad Tribunatum plebis transiit V. C. anno DCXXII. aut XXIII. Aedilis inde plebis post biennium est factus. triennio post Prætor Urbanus. post tres itidem annos Prætor Provincialis; illique in alterum annum Provincia prorogata. Jam vero Oppiam Gentem Co-

11. *Spanhem. Diss.* 6.

12. *Vaill. in Poblicia.*

ranam fuiſſe, antiquus lapis in ruinis templi Aeſculapii Coræ detectus his notis inſcriptus, dubitare non
13. Vid. cap. 2. hujus libri. ſinit: 13.

AESCVLAPIO ET HYGIAE
SACRVM
C. OPPIVS C. F. LENAS
VI VIR ET AVG.
HONORATVS IN TRIBV
CL PATRVM ET LIBERVM
CLIENTIVM ADCENSVS
PATRONIS SANCTISSIMIS
COMMVNICIPIBVS SVIS D. D.
QVORVM DEDICATIONE
SINGVLIS DECVRIONIBVS
XIII AVGVSTALIBVS----XII ET
COLONIS COENAM DEDIT
L. D. D. D.

In hoc enim lapide C. Oppius Sevir, & Auguſtalis Coræ appellatur: Aeſculapium & Hygiam, quod templum Coræ haberent, Communicipes ſuos ipſe vocat. Rurſus in altero lapide unum ſe e Quatuorviris juris
14. In eod. cap. dicundi nominat alius Oppius ſic: 14.

C. OPPIVS VERVS LF TVRPILIVS PRISCVS M. F. IIII VIR I D
AQVAM CAELESTEM DILABENTEM MONTIBVS COLLECTAM
INTERCISO AGGERE
PER FORMAM CVRSV FACTAM IN PISCINIS REPVRGATIS
LONGO TEMPORE CESSANTIBVS

P. R.

P. R. PRODVXERVNT EX S. C.

-- --- -- -- -- -- -- -- -- -- -- -- --

Uter autem horum fuerit C. Oppius ille qui Oppiam legem ad mulierum luxuriam compeſcendam tulit, incertum eſt. Immo neutrum fuiſſe, ex cognomine conſtare videtur. Siquidem C. Oppius ille a quo lex Oppia, *Salinator* cognomento dictus eſt. Oppii vero quorum in lapidibus mentio, alter quidem *Lenas*, alter *Verus* cognomento inſcribuntur. niſi tamen eorum aliquem duplici cognomento appellatum dixeris. Oppia itaque Gens quamquam plebeja, illuſtris tamen diu Romæ fuit. 15. Cujus rei vel illud argumento eſt, quod hæc Gens ferme ſub prima Romanæ Reipublicæ tempora Oppiam e ſuis Virginem Veſtalem habuerit. quæ licet per ſummum dedecus inceſti damnata fuerit 16. L. Aemilio, Cæſone Fabio Coſs., Gentem ſuam Oppiam nihilominus nobiliſſimam fuiſſe, oſtendit. Nonniſi enim ex nobiliſſima Gente poterat Virgo veteri inſtituto inter Veſtales cooptari. Quod etiam apud Albanos, apud quos pariter & Trojanos id ſacerdotium fuit, uſitatum erat; cum maxime honorificum idem haberetur. Neque vero ea in Veſtalem eligi poterat, cujus parentes vel ambo, vel certe eorum alter ſervitutem aliquando ſerviiſſent, aut in negotiis ſordidis verſarentur. Neque ejus filia inter Veſtales admitti poterat qui domicilium in Italia non haberet. Et ut planius de generis nobilitate conſtaret, matrima ac patrima puella, quæ Veſtalibus accenſeretur, eſſe debebat; patre nempe ac matre ſuperſtite, dum ſacerdotium iniret. Inceſtarum autem Veſtalium ſupplicium, inter quas & Oppia, notiſſimum. Siquidem vivæ ſe-

15. *Vaillant. de Famil. Rom. in* Oppia.

16. *Liv. l.* 2.

17. Sat. 4. peliebantur. Teſtis inter ceteros Juvenalis: 17.

Inceſtus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram ſubitura ſacerdos.

Ritus qui huic ſupplicio adhibebantur, & ceteram Veſtalium procurationem omnem fuſe deſcriptam habes
18. Lib. 2. apud Dionyſium in Romanarum Antiquitatum 18. libris. Inter Decemviros, quos Appius Claudius ſecun-
19. Liv. l. 3. do creavit, 19. etiam Spurius Oppius Cornicen numeratur a Livio. Hic Appium collegam ob Virginiam, quam deperierat, circumventamque per M. Claudium clientem, neci, quam Virginius pater ei intulit, expoſuerat, capitis diſcrimen ſubeuntem aliquamdiu adverſus commotæ plebis furorem Senatu indicto tutatus eſt. Verum juſto Virginii dolore faces præbente, & Decemvirorum tyrannide novis ſeditionum incendiis materiam in dies uberiorem miniſtrante, & ipſe Oppius in vincula conjectus eſt. Ideo autem potiſſimum a P. Numitorio Virginiæ avunculo arreptus eſt, quod in Urbe fuerat, cum injuſtæ vindiciæ a collega Appio puellæ dicerentur. Accuſabatur proinde quod impotentem ac libidinoſum collegæ animum pro poteſtate non cohibuiſſet. Ceterum Oppio plus invidiæ creavit facta militi injuria, non propulſata. productus namque in judicium eſt teſtis miles fortiſſimus, qui ſeptem & viginti enumeratis ſtipendiis octies extra ordinem donatus fuerat. Donaque ea gerens in conſpectu populi, ſciſſa veſte tergum laceratum decemviralibus virgis per ſummam inclementiam, Oppii Decemviri juſſu, ſpectaculum miſerabile oſtendit. Conſtanterque aſſeverabat, nihilum ſe deprecari. quin ſi Oppius jam reus ob Virginiæ facinus aliquam ſuam noxam dicere poſſet, ob quam virgis cædi tam fœde meruiſſet, Oppius idem licet privatus in ſe iterum

rum ſæviret. Judicii exitus mors Oppii fuit, quam ipſe ſibi antequam produceretur, conſcivit. Poſtquam autem Decemvirorum ſublata Romæ poteſtas, dum de nova adminiſtrandæ Reipublicæ forma conſuleretur; viginti Tribuni militum negotium exercitui dederunt, ut ex ſuo numero duos crearent, qui ſummæ rerum præeſſent. Creatique M. Oppius, & Sex. Manilius. Demum rebus tandem ab hac ipſa tam diuturna turbulentaque ſeditione pacatis atque compoſitis, inter decem Tribunos plebis, quos creari tunc placuit, ultimus etiam C. Oppius numeratus eſt. Jam vero C. Oppius Salinator Tribunus plebis Q. Fabio, & T. Sempronio Coſs. in medio ardore Punici belli ſecundi legem tulit, qua cavebatur, ne qua mulier plus auri ſemuncia geſtaret, ne veſtimento verſicolori uteretur, neve juncto vehiculo in Urbe oppidove, aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſſa, veheretur. Obtinuit lex per annos ferme viginti. quibus exactis, tum nobiles matronæ omnes, tum reliquæ de plebe feminæ, ut abrogaretur lex Oppia, vehementiſſime Senatum rogaverunt. Quod ante eam diem inuſitatum fuerat, feminis ſuam cauſſam dicentibus Senatus patuit, admiſſiſque datum, ut lex Oppia penitus abrogaretur. Unde in poſterum vel unus muliebris mundus locupletiſſima patrimonia abſorbere & exhaurire conſuevit. Anno autem Urbis Conditæ ſecundo & quinquageſimo ſupra ſexcenteſimum, Q. Oppium Q. filium Q. nepotem, Quæſtorem Provincialem fuiſſe legimus. Hic deinde Tribunus plebis, mox & Aedilis plebis pariter creatus, & Prætor Urbanus, Provincialis demum Prætor anno V. C. ſexcenteſimo ſexageſimo quarto factus eſt. Et L. Caſſio ſucceſſor miſſus in Aſiam cum Proconſulari imperio,

perio, pugnavit contra Regem Ponti Mithridatem, Caſſio & Manio Romani exercitus ducibus, in finibus Cappadocum, quadragenorum millium militum præſidio ſtipatus. Unde & victoriam reportaſſe aliquando, Veneris victricis caput in nummo inſculptum, quem ipſe percuſſit, ut mox referam, indi-
20. Appian. in Mithrid. care videtur. Verum 20. Nicomede Rege, qui Romanorum partes tuebatur, a Mithridate ſuperato, Q. Oppius ad Laodicenſes, qui fluvio Lyco proximi ſunt, cum equitum manu confugit. Hos ut eum ſibi traderent, excidii intentato metu, Mithridates Rex compulit. traditumque per ſpeciem clementiæ ita ludibrio habuit, ut eum Imperatorem populi Romani vinculis quidem omnibus ſolutum, verum & peditem & cuſtodibus ſeptum, ſecum quacumque pergeret, ſpectaculo circumduceret, præeuntibus ad augendam ignominiam captivis Romanis faſcibus. Hic in
21. Vaillant. in Oppia. Prætura ſua provinciali nummum percuſſit; 21. in quo, ex altera quidem parte, caput Veneris victricis inſculptum eſt, ex altera vero, Victoria alata dextera manu palmam in humerum impoſitam gerens, ſiniſtra caniſtrum frugum; quo ſignificaretur Oppii milites per victoriam rerum omnium ac frugum præcipue copiam uberem conſecutos. Victoriæ imago his literis inſcribitur: Q. OPPIVS PR. *Quintus Oppius Prætor*. Rerum autem geſtarum fama omnium ſuæ Gentis glorioſiſſimus M. Oppius Capito fuiſſe videtur, qui *M. Antonii Trium-viri Pro-prætore, ejuſdemque claſſis Præfectus* in nummis ſæpius inſcribitur. Hic Marci illius Oppii filius fuiſſe videtur, ad quem Cicero
22. Cic. Ep. Fam. l. 11. Ep. ult. 22. poſt Julii Cæſaris necem ſcripſit Epiſtolam, in qua ejuſdem & dignitatem, & conſilia, & amicitiam summopere commendat. Pater itaque & filius ab Auguſto

Julii

Julii Cæſaris necem ulciſcente proſcripti ſunt, eo quod in Senatu ſententiam dixiſſent adverſus Julium, ne ſcilicet Galliarum provincia ei prorogaretur, ſed, juxta majorum conſuetudinem & vim legum, provinciam mutaret. Cum autem M. Oppius pater decrepita jam ætate mortem oppetere, quam miſerabilis fugæ exſiliique incommodis ſubjici, ſatius duceret, Oppius filius, qua caritate in optimum parentem erat, invitum licet ac reluctantem 23. in humeros ſibi impoſuit, præclariſſimo Aeneæ exemplo inſtaurato, & partim quidem ita ſublatum, partim quoque manu apprehenſum in Siciliam uſque perduxit incolumem. cum populis quacumque iter facerent, alter quidem invictæ in defendenda Republica conſtantiæ, alter vero eximiæ in parentes pietatis, miraculo uterque fuiſſent. M. autem Antonii Triumviri opera ab exſilio revocatus M. Oppius filius (patrem namque in exſilio deceſſiſſe credibile eſt) Aedilis plebis eſt factus. cumque ille ſumtibus qui in eo magiſtratu procurando, faciendi erant, imparem ſeſe ob inopiam rei familiaris fateretur, de publico illi plebes ſtipem contulit ut ſuo munere perhonorifice fungeretur. Creatum autem Provinciæ alicujus Prætorem a M. Antonio M. Oppium, & claſſis quoque Præfectum, conſtat ex quinque, qui ſuperſunt, nummis 24. quos Oppius idem in Prætura & Præfectura claſſis cudendos curavit. Hi ſunt hujuſmodi. Primus, ex altera quidem facie, M. Antonii Triumviri caput exhibet cum literis: M. ANT. IMP. COS. DES. ITER. ET. TER. III. VIR. R. P. C. ſcilicet: *Marcus Antonius Imperator Conſul deſignatus iterum & tertium Triumvir Reipublicæ curandæ.* ex altera autem facie, habet nummus navem cum gubernaculo, ſignum Præfecturæ claſſis qua fun-

23. *Appian. Bell. Civ. l.* 4.

24. *Ap. Vaillant. de Famil. Rom. in* Oppia.

fungebatur M. Oppius, cum literis: M. OPPIVS. CAPITO. PRO. PR. *Marcus Oppius Capito Pro-prætore*. Nummus alter, in anteriori parte, habet Marci Antonii & Cleopatræ Reginæ, tunc uxoris ejus, capita jugata; in posteriori vero, navem cum velo & remigibus, cum iisdem literis ex utraque parte quas in primo nummo insculptas dixi; addita solum supra navim litera A, quæ, ut infra constabit, annum primum Præturæ, vel Præfecturæ, M. Oppii designat. Nummus tertius, in adversa parte, idem est ac secundus; in aversa vero, navim exhibet cum velo & remigibus, cum literis: M. OPPIVS CAPITO PRO PR. PRAEF. CL. *Marcus Oppius Capito Pro-prætore Præfectus classis*. in imo nummo est A litera, ut in secundo. In quarto, M. Antonii & Cleopatræ capita adversa exhibet pars anterior cum literis quæ in reliquorum anteriori parte leguntur: posterior pars navem habet cum literis: M. OPPIVS. CAPITO. PRAEF. CL. *Marcus Oppius Capito Præfectus classis*. in imo, literam B. scilicet anni secundi Præfecturæ classis notam. Quintus denique nummus, in antica quidem parte, capita M. Antonii patris & filii jugata, & Cleopatræ ex adverso exhibet cum literis quæ in superioribus nummis: in postica vero, navim cum velo & remigibus, infra quam hinc apparet litera Γ, signum anni tertii Præfecturæ; inde Triquetra, seu Siciliæ, nota, cum literis circa: M. OPPIVS CAPITO PRO-PR. PRAEF. CLASS. *Marcus Oppius Capito Pro-prætore Præfectus classis*. In quibus explicandis nummis non est quod diutius immorer, cum ex hactenus dictis omnia ferme pateant. illud tantum animadvertendum, apud veteres modum numerandi per literarum elementa usitatissimum fuisse, immo unicum, ante-

quam

quam ab Arabibus inventis numericis notis uteremur. Qui & Græcorum, & aliorum quoque populorum antiquitus mos fuit. Triangularis autem figura, quæ in ultimo nummo apparet, Siciliæ procul dubio est nota, quæ Τρινάκρια dicta est, ex tribus promontoriis, quibus in mare extenditur. Ibi autem classis Antonianæ partem fuisse, hæc nota a M. Oppio classis Præfecto nummo insculpta innuere videtur. In sinu autem Panormitano præcipue hibernare solitam classem hujusmodi crediderim. Ceterum Siciliam insulam ad Antonium aliquando spectasse, ex Dione constat, qui Antonium ipsum inter cetera sic expostulantem inducit: 25. *Denique quanta tandem portio Sicilia est nostri imperii?* Ceterum in hoc nummo capita illa jugata M. Antonii patris ac filii, & caput ex adverso insculptum Cleopatræ esse diximus, non autem, ut aliqui, capita M. Antonii & Augusti cum Octaviæ capite interpretati sumus; quod interpretatio nostra magis historiæ & temporum rationi congruat. Vix enim M. Oppius Augustum, a quo proscriptus fuerat, & Octaviam sororem ejus, licet tunc temporis M. Antonii uxorem, repræsentasset. Lucius etiam 26. Bibulus M. F. Proprætore Siciliæ nummum percussit, in quo M. Antonii patris & filii & Cleopatræ ex adverso capita apparent, unde & sententiæ nostræ robur accedit. Porro Gentis Oppiæ prænomina *Cajus*, *Spurius*, *Quintus*, & *Marcus* fuere. Cognomina vero sive agnomina *Lænas Salinator*, *Cornicen*, *Capito*, *Verus*. Et *Lænas* quidem a *læna* veste ex crassiori lana derivatum nomen, accepimus; ita enim appellatus est M. Popilius, qui cum Consul esset, 27. eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra Patres concitatione & seditione

25. *Dio Cass. l. 48. in fin.*

26. *Vaillant. in Oppia.*

27. *Cic. in Bruto c. 14.*

 nuntia-

nuntiata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem. *Salinator* autem is est qui sal conficit, vel salinas curat. Hinc M. Livio 28. Salinatori cognomen datum, quod vectigal in Salaria annona statuerit. *Cornicen* vero, qui cornu canit. eratque in exercitu militare munus, ut & tubicen. *Capito* qui magno capite esset, dictus est. *Verus* ad integritatis commendationem cognomentum fuit. Et hæc quidem de Gente Oppia. Calviam quoque Coræ fuisse, ex allatis 29. in hoc libro inscriptis lapidibus constat: eamdemque illustrem M. Calvii M. filii Publii nepotis dedicatio templorum Castoribus & Herculi facta, & Calviæ cujusdam satis ostendunt. Marcus hic Calvius inter Tribunos & in ordinem Senatorium a Claudio Imperatore adlectus in iisdem lapidibus inscribitur. Ex quibus etiam hanc Gentem ex Tribu Papiria fuisse constat. Calviæ inscriptio Coræ in pariete domus cujusdam hæc est:

28. *Liv. l. 29. c. 37.*

29. *Cap. 2.*

CALVIA
H. L. L. N. A ---- AVGVSTAE D.
AM. D. D. -- DECVR. D.

Turpiliam Gentem Coræ fuisse, innuere videtur lapis 30. in quo Turpilius Priscus Lucii filius e Quatuorviris juris dicundi cum Cajo Oppio piscinas repurgasse, & novo cursu facto, instaurasse, inscribitur; alter quoque lapis in quo cum M. Manlio L. Turpilium ædem Herculi faciendam curasse, legimus: & Pomponiam lapis alius via Lavicana in Tusculano detectus in hæc verba: 31.

30. *Cap. 2. hujus libri.*

31. *Ap. Ligor. verbo* Tribu Pupilia.

D. M.

D. M.
T. POMPONIO T. F. POPILL. FRVGI
PATRI FORTISSIMO EQ. PVBLIC. COR.
PRAEF. PRAETOR: TVRMAE EQVIT:
COMMOD: L. POMPONIVS L. F. POPILL. VOLESVS
TRIB: MILIT: PHILIPPVS
ET POMPONIVS FEROX NEPOTES T. P. C.
IN FRONT: P. XIII. IN AGR: P. XIX.

Hæc ita interpretor: *Diis Manibus. Tito Pomponio Titi filio Popillia Tribu frugi, patri fortissimo, equiti publico Corano, Præfecto Prætorii turmæ Equitum Commodianorum, Lucius Pomponius Lucii filius, Popillia Volesus Tribunus militum; Philippus & Pomponius Ferox nepotes testamento poni curaverunt. In fronte pedes tredecim, in agrum pedes novemdecim.* Tandem num & Gens quæ *Corana* & patria & nomine dicta sit, Coræ primum ac deinde Romæ fuerit, lepida quædam apud Horatium historiola dubium aliquod injecit. En illam: 32. 32. *Horat. Sat.* 5. *l.* 2.

Tempore quo juvenis Parthis horrendus ab alto
Demissum genus Aenea tellure marique
Magnus erit; forti nubet procera Corano
Filia Nasicæ metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque
Ut legat orabit. multum Nasica negatas
Accipiet tandem & tacitus leget. invenietque
Nil sibi legatum, præter plorare, suisque.

Ex hac Corana Gente strenuum militem alium memorat Juvenalis 33. dum militiæ præcipua recenset commoda his versibus: 33. *Sat.* 16.

Solis præterea testandi militibus jus
Vivo patre datur: nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census
Omne tenet cujus regimen pater. Ergo Coranum
Signorum comitem castrorumque æra merentem
Quamvis jam tremulus captat pater: hunc labor æquus
Provehit & pulchro reddit sua dona labori.

CAPUT VII.

De Signinis, qui sunt Coranis contermini.



UAMQUAM Signia nobilis olim Romanorum Colonia peculiarem sibi librum, quo monumenta ejus fuse describerentur, exposcere videbatur; ne tamen in immensum Latii nostri descriptio excrescat; quod certe fieret, si singulis urbibus paullo celebrioribus singuli impenderentur libri; Signinos hic Coranis atteximus, utpote eorumdem conterminos: ut hac Latii regione demum expedita, ad alias, quæ copiosiorem scribendo materiam sufficient, nostrumque stylum jampridem exspectant, sermo procedat. Itaque Signiæ conditorem 1. Tarquinium Superbum Romanorum Regem septimum ac novissimum, fuisse, satis constat. Cum enim in ea Latii parte quæ in ortum vergit, estque Campaniæ finitima, in monte qui *Lepinus* 2. Columellæ dicitur, castra haberet Tarquinius, ac loci opportunitatem nactus, in hibernis ibidem militem detineret, Coloniam eodem loco deducere, urbemque muris munire constituit. Quam, eo quod sub signis exercitus ibi hibernans primo incoluisset, *Signiam* Coloniam appellari maluit. Porro Signi-

1. *Dionys. lib.* 4.

2. *Lib.* 10. *de R.R.*

Signinæ Coloniæ natalis, juxta Dionysii calculum, 3. in annum incidit Urbis Conditæ ducentesimum quadragesimum quartum, Tarquinii Superbi Regis in regno ultimum. Cum enim viginti quinque annos multis tyrannice gestis regnasset Romæ Tarquinius, hoc demum anno ob indignum Sexti filii in Lucretiam facinus, L. Junio Bruto duce & Patres & populum impellente quammaxime, Urbe ac regno pariter cum uxore ac liberis expulsus est. Rerum autem ab ipso in regno gestarum ultimæ fuerunt Signia & Circeji Coloniæ deductæ. *Quia enim Colonis mittendis*, inquit Livius, *occupari latius* 4. *imperii fines volebat, Signiam Circejosque Colonos misit, præsidia Urbi futura terra marique*. Signia vero statim a sui exordio Colonia Romanorum facta ab ipso conditore & deductore Rege Tarquinio, Tito filio dedicata, tamquam conditori, fuit, cum Circejos Arunti filiorum alteri dedicasset. Signia a Strabone atque interprete ejus Prisciano 5. *Signium* quoque neutro genere appellata est. Nunc *Segni* dicitur, putaturque eodem quo primum condita est loco Colonia, etiam urbs quæ nunc exstat, esse constructa. Ceterum, in locis, ac præcipue montibus, qui in Signiæ vicinia sunt, Volscos habitasse, certissimum est, vel ex eo, quod Signia quoque, quamquam in veteri Latio sita, atque ipso natali suo Colonia Romana deducta, Volscæ tamen gentis fuisse a Scriptoribus aliquando memoretur; quod non de urbis quidem exordiis, verum vel de posterioribus temporibus, cum inter varias bellorum adversus Romanos vicissitudines eam aliquando Volsci occupaverint, vel certe de urbis vicinia intelligendum omnino est. Porro hæc Colonia, quamquam Tarquinium Superbum conditorem agnosce-

3. *In fine lib.* 4.

4. *Lib.* 1.

5. *Pag. mihi* 237.

ſceret, eoque expulſo a Romanis eodem ferme anno quo is eam condiderat, & Coloniam deduxerat, ſui conditæ atque deductæ beneficium licet recentiſſimum Romanæ Reipublicæ libertati poſthabuiſſe honeſtius duxit. Cum enim 6. Tarquinius Roma ejectus, nec ab exercitu Romano, qui tum circa Ardeam Rutulorum erat, admiſſus, Gabios ſeſe cum uxore & liberis ad Sextum filium natorum maximum, qui celebri fraude haud multo ante ejus urbis potitus fuerat, exſul contuliſſet, nullumque lapidem non moveret ut in regnum ab Latinorum coacto exercitu reduceretur, Signiam Coloniam ad partes ſuas ſequendas, nihil de ſucceſſu addubitans, ſed tamquam ex debito imperata quam citiſſime facturam confidens, cum primis ſollicitavit. At Signinis in Romanorum fide & poteſtate ſe manſuros conſtanter palamque reſpondentibus, Tarquinius Latinorum ſibi fœderatorum exercitum ad oppugnandam Signiam immiſit, P. Veturio, 7. P. Aebutio Helva Coſs. Præerat exercitui Sextus Tarquinius Regis filius natu maximus. Is ſperans, ſe primo impetu oppreſſurum præſidiarios, eos valide adortus eſt; ſed repulſus ſtrenue a propugnatoribus, multum ibi fruſtra contrivit temporis. coactuſque demum eſt infecta re inglorius diſcedere. Siquidem novum præſidium Conſules in tempore Signiam ſubmiſerant, commeatumque in præſidiarios ac reliquos Colonos abunde ſuffecerant, quo alacres obſidionem tolerarent: qua demum a Sexto ſoluta in fide populi Romani deinceps Signini perſeverarunt. Appio Claudio 8. deinde, & P. Servilio Coſs. anno ſcilicet qui nuntio Tarquinii Superbi mortis, quam Cumis obiit, inſignis fuit, & Romanis ob id lætiſſimus, Signia Colonia, quam Rex ipſe Tarquinius deduxerat, ſuppleto nu-

6. *Dionyſ. lib. 5.*

7. *Dionyſ. ibid.*

8. *Liv. l. 2.*

to numero Colonorum, iterum deducta eſt. Quæ vero belli domique Signini præclare geſſerint memoriæ minime proditum eſt uſque ad belli Punici ſecundi tempora. Poſt Cannenſem vero illam nullis non ſæculis, nullis non linguis celeberrimam ab Romanis acceptam cladem, cum pro aris jam & focis Romæ dimicandum eſſet, & Hannibal ad portas Urbis victore exercitu jam jam affuturus videretur, Signinorum Colonorum præ ceteris omnibus ea fuit erga Romanos fides, ut illis Romanum tunc imperium ſtetiſſe, magna ex parte tributum fuerit. Cum enim Romani Coloniis militem & pecuniam tam difficili tempore imperaſſent, duodecim Coloniæ imperata facere detrectaverunt. At Signini cum reliquis quos Livius 9. recenſet, primi omnium non modo imperata continuo fecere, verum ſe quoque ſuaque omnia ad Romanorum ſuſtentandum imperium in diſcrimen ultimum adducturos, ſingulari quodam robore ac fide reſponderunt. Scilicet & milites ex formula paratos eſſe, &, ſi pluribus opus eſſet, plures daturos, & quidquid aliud imperaret velletque populus Romanus, enixe facturos; ad id ſibi neque opes deeſſe, animum etiam ſupereſſe. Laudati igitur primum a Conſulibus, mox ab univerſo Senatu, ad populum demum producti ſunt Colonorum Legati, & inter multa alia præclara quæ ipſis majoribuſque ſuis præſtitiſſent recens etiam meritum eorum in Rempublicam commemoratum. *Ne nunc quidem*, inquit Livius, *poſt tot ſæcula ſileantur fraudenturve laude ſua. Signini fuere & Nolani* &c. Cumque ſingulos enumeraſſet, hanc narrationi ſuæ clauſulam impoſuit: *Harum Coloniarum ſubſidio tum imperium Romani populi ſtetit. iiſque gratiæ & in Senatu & apud populum actæ*. Cum autem a Carthaginien-

9. *Lib.* 27.

giniensibus Romani obsides accepissent, & illos primum Norbanis, Prænestinis, atque Setinis in custodiam tradidissent, mox a Norba, ubi parum 10. commode essent, ipsis Carthaginiensibus id poscentibus, Signiam eos transtulerunt. Quod pariter Signinorum spectatæ erga Romanos fidei singulare argumentum fuit. Nam tantæ aleæ obsides nonnisi Colonorum fidissimis committendi fuerant. Silius quoque libro octavo inter populos qui Romanis contra Hannibalem militum auxilium miserant; Signinos annumeravit eo versu:

10. *Liv. ibid.*

Quos Cora, quos spumans inimico Signia musto,
Et quos incelebri miserunt valle Velitræ.

Quid autem Silii verba sibi velint, infra, cum de vino Signino loquar, exponam. Cetera autem hujus Coloniæ monumenta perierunt omnia. Illud tantum nos docet vetus inscriptio Signiæ eruta, T. Julium Eutichetem Coloniæ patronum fuisse, & collegium Dendrophororum, scilicet *arbores comportantium*, Signiæ exstitisse, cui rector Julius idem fuerit, statuamque sibi a collegis decretam & dedicatam habuerit. Ecce inscriptionis verba: 11.

11. *Fabrett. Inscript. cap. 10. p. 722.*

T. IVLIO EVTICHETI PATRON:
ET RECTORI COLLEG. DEND. SING.
Q. Q. OB PLVRA SAEPIVS BENEFICIA
ET MVNIFICENT. LARGITIONESQ.
CIRCA COLLEGIVM SVVM EXHIBVERIT
DIGNISSIMO EX AERE COLLATO STATVAM
COLLEGIVM DENDROFR. POSVERVNT
CVIVS DEDIC. DEDIT SING. S. S.
XXXII
ET EPVLVM DEDIT.

A Qua-

A Quatuorviris autem Rempublicam Signiæ aliquando adminiſtratam docet lapis alter his notis inſcriptus: 12.

12. Gruter. Inſcript. Roman. prim. edit. fol. 490.

L. VOLVMNIO L. F. POMP.
IVLIANO SEVERO IIII. VIRO COLONIAE SIGNINAE
PATRONO COLONIAE SVAE SENATVS POPVLVSQ. SIGNINVS.

Hanc quoque ſub ſtatua Juliani ejuſdem appoſitam fuiſſe inſcriptionem crediderim. In agro vero Signino Tuſculanum verſus, haud procul a Latina via, Caji Firmii Deculæ equitis Romani villam, & in ea ejuſdem ſepulcrum exſtitiſſe, notavit ex ibidem erutis monumentis 13. Ligorius. Cheſiæ quoque Gentis Romanæ villa & ſepulcrum exſtiterunt in agro Signino, quod Ligorianus pariter lapis monet: 14.

13. Verbo Deculano.

14. Verbo Cheſia.

DIS MANIBVS
M. CHESIVS M. F. OVF:
TERTVLLVS TRIB. COHOR: III
ET CHESIA M. F. LVCILLVLA PARENTES
L. CHESII BASSI TIRONIS COHOR. III PRAETOR:
ET CHESIAE TERTVLLAE SORORI L. CHESII

In ejuſdem quoque Signini agri finibus Anagniam verſus villa fuit Sexti Titurii ex Aemilia Tribu. Siquidem repertus ibidem inſcriptus lapis monumentum Titurii, ac proinde & villam eodem loco exſtitiſſe, nos docuit his verbis: 15.

15. Ligor. verbo, Tribu Aemilia.

D. M.

D. M.
SEX. TITVRIVS SEX: F. AEMIL:
NAVTVS FELIX COMMODIANVS
PRAEFECTVS PRAETOR
CANDIDATVS AVRELIANVS
FLAMEN TRAIANAL: V. F.
SIBI ET SVIS LIBER:
IN FRONTE P. XVI: IN AG. P. XXV:

16. Ex Ligor. V. Tribu Lemonia.

Exſtat pariter ſepulcralis lapis alius in agro Signino in via quæ ad ipſum oppidum ducit, cum 16. inſcriptione:

DIS MANIBVS
SEX. SISCIO SEX: F: LEMON:
CRESCENTIO
EQV: PVBLICO PRAEF: COH: VI:
VIGIL: ET TRIB: MILIT: LEGIONIS III
PARTH: PATRONO MVNIC:
SIGNINI
M. SISCIVS M. F. LEMON: FELIX
PROCVR: PEREGR: EX TEST:
F. C.

17. Frontin. de Coloniis.

Quæ omnia plane conſtant, nec lectu difficile quidquam habent, ut in illis interpretandis immorandum ſit. Id tantum noto, Signiam & Coloniam & Municipium fuiſſe, & Sextum Siſcium Municipii patronum in lapide commemorari. De Colonia Signina ejuſque agro hæc habet Frontinus, quæ uberiorem videntur explicationem deſiderare: 17. *Signia muro ducta Colonia. Triumviri munierunt. iter populo debetur P. XXXV.*

XXXV. Ager ejus in ſoluto ex occupatione a militibus tenetur. Sciendum itaque in primis Colonias alias aliter deductas fuiſſe. ſiquidem aliæ *Civiles*, aliæ *Militares* dicebantur. Civiles eæ erant quæ ex civibus conſtabant, qui in locum aliquem mittebantur ad eum incolendum ſimul atque colendum. Militares vero illæ quæ ex militibus in oppidum vel urbem captam miſſis conſtabant. Tertium quoque veluti Coloniarum genus fuit. illud ſcilicet quod ex militibus quidem, verum qui non in captam urbem, ſed in urbem de novo condendam alio mittebantnr. Ad hoc genus Signina Colonia ſpectat. namque eo loco primum condita incoli & coli cœpta eſt urbs & ager circa illam, quo caſtra tantum Romanorum militum fuerant, cum nullum ibidem antea oppidum exſtitiſſet. Hoc itaque ſibi volunt illa Frontini verba: *Signia muro ducta Colonia*; nempe: *Signia deducta eſt Colonia muris urbem ipſam circumdando, & de novo condendo*. Hinc patet quare in aliis Coloniis, quæ urbes ſive oppida ante deductionem fuerant, recenſendis, Frontinus idem eas oppida nominet, quemadmodum de Veliterna & Ulubrana, verbis quæ ſuo loco attulimus, inquit: *Velitræ oppidum lege Sempronia fuerat deductum.* & *Ulubræ oppidum a III-viris deductum*. quod de Signina Colonia non dixit, cum in aperto campo, nulliſque ædificiis occupato ſolo, ea primo deducta fuerit. Cum autem communis Coloniarum deducendarum mos eſſet, ut ex ipſis militibus qui deducerentur tres præcipui ab Senatu, ſive ab Imperatoribus, eligerentur, quorum curæ omnia circa novam Coloniam demandarentur, ii *Triumviri deducendæ Coloniæ* dicebantur. De quibus in Colonia Signina ait Frontinus: *Triumviri munierunt*; ſcilicet: *muris munierunt*

runt Signinam Coloniam muro, ſive novâ urbis inſtitutione deductam. Jam vero novis Colonis ager circa locum in quem erant deducti, viritim dividebatur, ut illum colendo (unde etiam dicti *Coloni*) ſeſe ac familiam ſuam ſuſtentarent. Hæc autem diviſio agrorum in novos Colonos non uno fiebat pacto. Si enim in vi captum aut expugnatum oppidum deducti eſſent, tunc Civibus agro magna ex parte, vel etiam aliquando omnino, multatis, eodem Coloni donabantur. Tunc autem veteribus inquilinis, ſive Colonis, alio migrandum erat, aliæque ſedes quærendæ, atque alia arva colenda. Horum miſerabiles vices deplorantem
18. Eclog. 9. inducit 18. Virgilius Mærin paſtorem:

O Lycida, vivi pervenimus, advena noſtri
(Quod numquam veriti ſumus) ut poſſeſſor agelli
Diceret: Hæc mea ſunt: veteres migrate Coloni.

19. Eclog. 1. Et Melibœum 19. indignantem:

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quo diſcordia cives
Perduxit miſeros! en queis conſevimus agros!
Inſere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites.

Rurſus exſilium, & fugam, atque in remotiſſimas orbis plagas triſtem peregrinationem veterum domi-
20. Ibid. norum ex agris a Colonis militibus expulſorum 20. deflens inquit:

At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros:
Pars Schytiam & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Eadem quoque ſe paſſum Propertius poeta elegantiſſimus, eo quod pater ejus L. Antonii adverſus Auguſtum partes ſecutus fuiſſet, his verſibus queſtus eſt ex vatis ſive auguris perſona, quæ Propertio accidiſſent divinantis:

21. *Oſſa-*

21. *Oſſaque legiſti non illa ætate legenda* 21. *Eleg. 1. l. 4. v. 127.*
Patris, & in tenues cogeris ipſe lares.
Nam tua cum multi verſarent rura juvenci,
Abſtulit excultas pertica triſtis opes.

Ex iis autem qui parte tantum agri multabantur, Ofellus ille ruſticus abnormis ſapiens craſſaque Minerva fuit, quem inducit Horatius ſobrietatis præcepta ferentem. ex ejus namque perſona inquit: 22. 22. *Sat. 2. l. 2.*

quanto aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituiſtis, ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam ſtatuit. nos expulit ille:
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia juris,
Poſtremum expellet certe vivacior hæres.
Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius: ſed cedet in uſum
Nunc mihi, nunc alii. quocirca vivite fortes,
Fortiaque adverſis opponite pectora rebus.

Qui verſus cum propter opportunitatem, tum propter ſapientiſſimum quod continent documentum recitandi omnino fuere. Ceterum parte tantum agri hunc Ofellum multatum aperte ſignificat Horatius, cum ait:

23. *puer hunc ego parvus Ofellum* 23. *Ibid.*
Integris opibus novi non latius uſum,
Quam nunc acciſis. videas metato in agello
Cum pecore & gnatis, fortem mercede colonum, &c.

Quod ſi expugnatæ, vel certe quovis pacto devictæ urbis ager novis Colonis non ſufficeret, finitimæ aliquando urbis cives, vel certe finitimi agri ruſtici, agrorum ſuorum parte, quæ ſatis eſſet novis Colonis omnibus, multabantur. Id Mantuanis accidiſſe,

quod

quod Cremonensibus essent finitimi, deploravit Virgilius eo carmine: 24.

24. Eclog. 9.

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Si vero in amicum jam ac fœderatum, vel deditione captum oppidum missi essent, vel de publico, vel de incultis ad eam diem locis agri pars aliqua singulis assignabatur, quam colerent. Hinc de Signinæ Coloniæ agro inquit Frontinus: *Ager ejus in soluto ex occupatione a militibus tenetur*. Scilicet: *Ii milites qui primi Coloniam Signiam deduxerunt, omnem circa agrum occuparunt, eumdemque suis posteris, tamquam solutum, ceu pro illo pretium solvissent, jure belli, sive domicilii, sive deductæ Coloniæ, testamento reliquerunt*; unde etiam Frontini ætate ager idem in soluto a militibus tenebatur ex primorum militum Colonorum occupatione. Porro in his agrorum divisionibus nunc spatium aliquod populo ad iter faciendum relinquebant, quod numquam ab ullo Colonorum nec occupari, nec imminui posset: nunc vero spatium nullum tale ex debito saltem relinquebatur. hinc illa Frontini verba de Signina Colonia: *Iter populo debetur P. XXXV*. Scilicet Signinus populus, qui & ipse ex posteris primorum illorum Colonorum erat, jus habebat ex ipsa deductæ Coloniæ institutione, ne passuum triginta quinque spatium in via publica a quoquam privato, qui ex eo aliquid forte intra suum agrum includeret, umquam imminueretur. quod etiam publicis armentorum ac gregum pascuis usui esse poterat. quemadmodum etiam per hæc tempora in regno Neapolitano spatia quædam agri sunt quæ in publica pascua, tamquam regii juris, reservantur. Emendandus hinc Panvinii locus, in quo Frontini verba de Colonia Signina recensens male descripsit: 25. *Iter populo non*

25. De Imper. Rom. tit. de Colon. edition. Parisin. 1588. in 8.

lo non debetur; cum in Frontini exemplaribus non modo exſtet : *Iter populo debetur*, verum etiam menſura P.XXXV. itineris ejuſdem expreſſa ſit. Signina itaque Colonia jure omni & munere donata atque ornata fuit, quo nobiliſſimæ quæque atque amiciſſimæ Coloniarum donari atque ornari a Romanis conſueverant. quod in eorum fide ſemper conſtantiſſime perſeveraverat. Et hæc quidem de hujus Coloniæ monumentis. Fuit autem celebris Signia ob vini genus quoddam, quod alvo continendæ, ſeu ſiſtendæ, utile erat. De eo Plinius inter generoſa vina, quibus tertiam palmam fuiſſe memorat, ſic habet: 26. *Quod Signiæ naſcitur auſteritate nimia continendæ utile alvo inter medicamina numeratur*. Unde & Cornelius Celſus appoſite 27. *Potui quidem*, inquit, *aptiſſimum eſt vinum frigidum .... maximeque Signinum*. Hinc Silii conſtat ſententia in eo carmine quod ſupra recitavimus:

26. Lib. 14. cap. 6.

27. Lib. 4. cap. 5.

Quos Cora, quos ſpumans inimico Signia muſto,

inimico ſcilicet ventri, quod illum facile ſiſteret. Quod Martialis aperte cavendum monuit: 28.

28. Lib. 13. Ep. 113.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem:
Ne nimium ſiſtant, ſit tibi parca ſitis.

Athenæus autem ait 29. Signinum vinum nonniſi poſt annum ſextum bibendum, nam antea aridum omnino & auſterum, tunc demum potui utile fieri. Signina quoque pyra olim in pretio fuerunt; ac proinde inter potiora laudantur a Plinio: 30. *Signina, quæ alii a colore teſtacea appellant*. quorum per hiemem uſum fuiſſe utilem innuit Juvenalis: 31.

29. Deipnoſoph. l. 1.

30. Lib. 15. cap. 15.

31. Sat. 11.

Signinum Syriumque pyrum de corbibus iſdem,
Aemula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, ſiccatum frigore poſtquam
Autumnum & crudi poſuere pericula ſucci.

Sed

32. Lib. 10. de Re Rust. a vers. 127. Sed & Signinis caulibus nomen fuisse ac pretium, testatus est Columella iis versibus: 32.

Tum quoque conseritur toto quæ plurima terræ
Orbe virens pariter plebi regique superbo
Frigoribus caules & veri cymata mittit,
Quæ pariunt veteres cesposo litore Cumæ,
Quæ Marrucini, quæ Signia monte Lepino.

Testæ etiam Signinæ ad pavimentorum genus quoddam politissimum, quod *Signinum opus* antiqui dixere, laudatissimæ omnium fuerunt. Conficiebatur autem e tusis testis addita calce, & quamquam etiam in parietibus tegendis adhiberetur, ejus tamen præcipuus usus fuit ad sternenda pavimenta. De eo Plinius:

33. Lib. 15. cap. 12. 33. *Quid non excogitavit ars? Fractis enim testis utendo sic ut firmius durent, tusis, calce addita, quæ vocant Signina; quo genere etiam pavimenta excogitavit.* Signini operis usum in cisternis ac puteis parandis exponit

34. Lib. 8. de Architect. cap. ult. Vitruvius in hæc verba: 34. *Sin autem loca dura erunt, aut in imum venæ penitus non fuerint, tunc Signinis operibus ex testis, aut a superioribus locis excipiendæ sunt copiæ. In Signinis autem operibus hæc sunt facienda, uti arena primum purissima asperrimaque paretur; cæmentum de silice frangatur, ne gravius quam librarium; calx quam vehementissima mortario misceatur, ita ut quinque partes arenæ ad duas calcis respondeant; mortario cæmentum addatur, ex eo parietes in fossa ad libramentum altitudinis futuræ depressa calcentur vectibus ligneis ferratis; parietibus calcatis in medio, quod erit terrenum exinaniatur ad libramentum imum parietum, & exæquato solo ex eodem mortario calcetur pavimentum ad crassitudinem quæ constituta fuerit.* Signini autem operis id singulare fuit, quod quam citissime siccaretur, solidissimumque evaderet, ac densissimum; quo ad aquas continendas nihil utilius. A Signino o-

pere

pere non abhorrere crediderim pavimenta illa, quæ in ſingulis ferme domibus ſupra ipſa tecta ad mœniana quædam Neapoli ſterni conſuevere. Siquidem & denſa & ſolida, & ſolibus ac pluviis maxime apta ſunt. Id operis *aſtrico* cives appellant, corrupto vocabulo, & ex altero derivato, quod Etruſci dicunt *laſtrico*, *laſtricare*, ſcilicet pavimentum ſternere, præcipue lapidibus. Ipſum autem Signinum opus illud eſſe videtur quod Venetiis, Patavii, & in reliqua Venetæ Reipublicæ ditione hodieque ad pavimenta ſternenda in Patriciorum, ac præcipuis civium reliquorum domibus eſt in uſu. Quod ex teſtis, vel laterculis, pariter contuſis, quibus purior calx, & marmorea fragmina admixta, purpureum marmor imitatur, ex eoque politiſſima illa conficiuntur pavimenta, quæ ſpeculorum inſtar lucidiſſima te tibi oſtendunt, ſi deſpicias. Quod opus *terrazzo* & *terrazzare* Veneti appellant. Ceterum & inſtrumenta illa muſica, quæ ex quamplurimis ſimul compactis fiſtulis conſtant, quorumque tam creber in ſacris templis eſt uſus, quæ *Organa* appellant, Signiæ primum inventa fuiſſe ſcripſit Franciſcus Petrarcha politiſſimus ille Vates. Verum hoc erit Latii Sacri fuſius exponere & diligenter diſcutere.

Memoratur Signia Plauto in ea Comœdia quæ inſcribitur *CAPTIVEI*, 35. in qua paraſitum quemdam nomine Ergaſilum inducit cum Hegione ſene colloquentem & per quaſdam Veteris Novique Latii urbes joco jurantem. En verſus:

35. *Act. IV. Sc. 2.*

Heg. *Abi in malam rem: ludis me.* Erg. *ita me amabit ſancta Saturitas,*
Hegio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine,
Ut ego vidi. Heg. *meum gnatum?* Erg. *tuum gnatum, & Genium meum.*

Heg. *Et captivum illum Alidensem?* Erg. μὰ τὸν Ἀπόλλω.
Heg. *& servolum*
Meum Stalagmum, meum qui gnatum surripuit? Erg. νὴ τὰν Κόραν.
Heg. *Jam diu?* Erg. νὴ τὰν Πραινέστην. Heg. *venit?* Erg. νὴ τὰν Σιγνίαν.
Heg. *Certon?* Erg. νὴ τὰν Φρουσινῶνα. Heg. *vide sis.* Erg. νὴ τὸ Ἀλάτριον.
Heg. *Quid tu per barbaricas urbes juras?* Erg. *quia enim item asperæ*
Sunt, ut tuum victum autumabas esse. Heg. *væ ætati tuæ.*

Jurat autem hic Ergasilus parasitus quemadmodum primo per Apollinem, ita postea per Coram, per Prænesten, per Signiam, per Frusinonem, per Alatrium. Hegio autem senex Græcus homo & in Græcia degens eas urbes *barbaricas* appellat, quod Græcæ non essent. nam apud Græcos, quæcumque Græca non essent loca, ea barbara sive barbarica censebantur, sicuti & homines & linguæ. Quod & apud Latinos obtinuit, apud quos tamen etiam ipsi Græci e barbarorum numero eximebantur. Quod autem Plautinus hic parasitus eas urbes Veteris Novique Latii asperas esse dicat æque ac victum parci illius senis Hegionis, quocum loquitur, id intelligendum de sono illorum vocabulorum quo eæ urbes appellabantur, qui Græcis auribus asper & insuetus erat. Sunt, qui oppidum *Sacri Portus* nominatum prope Signiam fuisse dicant. Verum cum & prope Præneste fuerit, de illo simul, cum de Prænestinis, agemus. Fregellas quoque oppidum, eo loco quo nunc *Ponte Corvo* prope Aquinum, ditionis Signinorum fuisse, sunt qui tradant. Verum cum id in Novo Latio sive Campania situm fuerit, nos Vetus tantum Latium describentes, a sui commemoratione absolvit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

INDEX RERUM MEMORABILIUM

Quæ in his libris continentur.

A

B

C

Octa-

Signi-

TABULAE MONUMENTORUM

AC RUDERUM

In quibus Velitrarum & Coræ ædificiorum aliqua adhuc apparent vestigia, in his libris expressæ.

LIBRO DE VELITERNIS.

Tab. I. *CAVERNA, quæ e ruderibus vetustissimi templi Martis superesse creditur, Velitrisque ad Aedem S. Clementis, ubi olim Martis templum exstitisse tradunt, in hanc usque diem visitur.*

Tab. II. *Marmoreæ Columnæ, quæ ex ruinis Veliterni Martis templi ad Hortos Ginettorum translatæ, Velitris hodie visuntur.*

Tab. III. *Antiquæ piscinæ rudera III. pl. m. a Velitris lapide, Neptunium versus, in agro Domus S. Mariæ de Horto, juxta diverticulum Appiæ viæ, vulgo* Le Cento Colonne. *Ruderum eorumdem in orientem solem facies.*

Tab. IIII. *Antiquæ Turris facies una cum pomœrii ruderibus III. pl. m. a Veliterna urbe lapide, in diver-*

diverticulo Appiæ viæ, Neptunium versus, Civitania *ab incolis appellatæ. Turris ejusdem ac pomœrii facies interior, in qua muri pars inferna reticulato opere apparet, superna non item: unde antiquissimo recens ædificium inhæsisse colligitur.*

Tab. V. *Arca vetusta sepulcralis marmorea, in qua marini Dii vario illusu insculpti; in agro Veliterno reperta, & ad peramœnos Ginettorum Hortos Velitris sita. Arca item marmorea antiqua, in qua Præfectum aliquem classis conditum olim cum uxore fuisse, insculpta signa videntur innuere; in agro Veliterno olim detecta; nunc in Ginettorum Hortis Velitris exstans.*

Tab. VI. *Arca marmorea sepulcralis antiquæ sculpturæ signis distincta, in agro Veliterno olim effossa. Nunc ad Hortos Ginettorum translata, Velitris cernitur. Arca item sepulcralis marmorea antiquis signis distincta, eodem in agro effossa, eosdemque ad Hortos translata.*

Tab. VII. *Antiquæ sculpturæ Statua, quæ exstat Velitris in Aedibus Gentis Borgiæ Patriciæ Veliternæ, & P. Helvii Pertinacis Imp. a nonnullis creditur. Statua item vetustæ egregiæ sculpturæ antiquum Philosophum repræsentans, Velitris, eisdem in Aedibus Borgiæ Gentis.*

Tab. VIII. *Locus in agro Veliterno tribus milliariis ab urbe distans in Meridiem, in fundo Gentis Borgiæ Patriciæ Veliternæ,* Solluna *appellatus; ubi templum Solis & Lunæ exstitisse alii dicunt: alii vero oppidulum, seu diversorium, juxta Appiam viam,* Ad Sponsas *in antiquis Itinera-*

nerariis nuncupatum, exstructum fuisse, memoriæ prodidere. A. *Vestigia ruderum vetustorum ædificiorum sive oppiduli, sive templi, quæ adhuc supersunt.* B. *Viæ Appiæ pars, quæ Ariciam ducit, solem occidentem versus.* C. *Via, quæ ducit Velitras in Boream.* D. *Oppidulum in Albanis tumulis,* Civita Lavinia *appellatum.*

Tab. IX. *Rudera Villæ magnificentissimæ, quæ Imp. M. Salvii Othonis fuisse traditur, prope Velitras, Cinthianum versus, in latifundiis olim Toruzziæ Gentis Patriciæ Veliternæ, nunc vero Philipporum, pariter Patriciorum, sita, vulgo* Colle Ottone. *Ruderum Area & figura. Latitudo palmorum XL. Longitudo palmorum CXL.*

Tab. X. *Octaviæ Gentis Veliternæ, Romæ illustris, Nummi.*

Tab. XI. *Q. Pomponii Musæ Consulis, cujus sepulcralis inscriptus lapis exstat Velitris in Ginettorum Hortis, Nummi; in quibus Musarum effigies atque habitus repræsentantur.*

LIBRO DE CORANIS.

Tab. XII. *ANTIQUI Castorum Templi Coræ quæ superfuere fragmenta.*

Tab. XIII. *Facies & porticus antiqui Templi, quod Herculi quamplurimi, Dianæ nonnulli, dedicatum fuisse putant; in vertice Corani Montis, ut in hanc usque ætatem Coræ visitur.*

Tab. XIV. *Dianæ venatricis figura, quæ Coræ in Butiorum Hortis antiquo opere marmori insculpta habetur.*

tur. Mulieris ſupplicatricis imago marmori inſculpta, ut exſtat Coræ iiſdem in Hortis. Ara antiqua in ruinis templi Herculi, vel Dianæ, olim dicati reperta, Coræ; ubi modo exſtat in Aede Divo Petro ſacra, inſervitque Fonti ſacroſancti Chriſtianorum Lavacri.

Tab. XV. *Romæ Antiquæ Statua ex purpureo marmore, quod* porphyreticum *appellant; quam Coræ in templo Caſtorum erutam memorant. Viſitur hodie Romæ in Area Capitolina.*

Tab. XVI. *Poblicia Gentis Coranæ, Romæ illuſtris, Nummi. Oppiæ Gentis Coranæ, Romæ illuſtris, Nummi.*



Ordo collocandarum Tabularum.

Errata ita Corrige

Pag. 24.	lin. 24.	transieret	transiret
Pag. 45.	lin. 18.	*proculum*	*poculum* in aliq. exemplaribus
Pag. 108.	lin. 12.	e contra	e contrario
Pag. 135.	lin. 2.	διοςηȣ́ροις	διοσκȣ́ροις



PATAVII. CIↃIↃCCXXVII.
Excudebat JOSEPHUS COMINUS.

Libri impressi nella Stamperia Cominiana, eretta a spese de' Sigg. Volpi; de' quali si truovano ancora esemplari vendibili; colli loro prezzi.

Andreæ Naugerii Opera omnia. 1718. 4. ch. maj. L. 10
Gabrielis Faërni Fabulæ, & alia Opuscula. 1718. 4. ch. maj. L. 5.
La Coltivazione di Luigi Alamanni e le Api di Giovanni Rucellai. ec. 4. *in carta gr.* L. 10 : 10
Jo. Poleni liber de Castellis per quæ derivantur fluviorum aquæ, *&c.* 1718. cum fig. 4. ch. maj. (*a spese dell' Autore.*) L. 3
Hieronymi Fracastorii, aliorumque Veronensium Carmina. 1718. 8. ch. maj. L. 4
Jacobi Sannazarii, aliorumque Poëmata. 1719. 4. L. 6
Marmi Eruditi postumi dell' Orsato, con note ec. 1719. 4. *in car. gr.* L. 10
Jo. Baptistæ Morgagni Adversaria Anatomica Omnia, Batava editione, quæ posterior est, at minime aucta, longe correctiora. 1719. cum fig. 4 ch. maj. L. 18
Augustinus Valerius de Cautione adhibenda in edendis libris. *&c.* accedunt Patriciorum Venetorum Orationes. 1719. 4. L. 5
Sermoni di S. Carlo Borromeo. 1720. 4. L. 2 : 10
Philippi Riceputi Soc. Jesu Prospectus Illyrici Sacri. 1720. 4. ch. maj. L. 1
C. Valerii Flacci Argonautica. 1720. 8. L. 2
Jo. Poleni Prælectio de Mathesis in rebus Physicis utilitate. 1721. 4. ch. maj. (*a spese dell' Autore.*) L. 1 : 5
T. Lucretius Carus de Rerum Natura, Præfatione, Argumentis, Indice, Var. Lectionibus illustratus. 1721. 8. L. 4
Boëthius de Consolatione Philosophiæ, & Elpidis ejus conjugis qui vulgo feruntur Hymni. 1721. 8. L. 2
Corn Nepos cum Variis Lectionibus ex Jensoniana & Aldina editione. Edit. III. 1727. *in* 8. *in carta corsiva* L 1 : 10
A. Corn Celsus, & Q. Serenus Sammonicus de Medicina, cum notis Th. Almeloveenii, & Rob. Constantini, nec non Cl. Morgagni IV. doctissimis Epistolis. 1722. 8. L. 7
Sallustius, cum Fragmentis Veterum Historicorum mirum in modum emendatis & auctis. *&c.* 1722. 8. L. 4
Le Rime del Petrarca riscontrate con ottimi esemplari stampati, e con uno antichissimo Testo a penna: con l' aggiunta di molte composizioni, notizie, ec 1722. 8. L. 4
L' Aminta di Torquato Tasso, e l' Alceo di Antonio Ongaro, emendatissime. 1722. 8. L. 2
Discorso Accademico del Dr. Gio. Antonio Volpi: Che non debbano ammettersi le Donne allo studio delle Scienze e delle belle Arti. 1723 4. L. --: 10
Le Rime d' Angelo di Costanzo. III. Ediz. corretta ed accresciuta. 1723. 8. L. 1
Le Opere Volgari del Sanazzaro, cioè l' Arcadia alla sua vera lez. restituita, colle note del Porcacchi, del Sansovino, e del Massarengo: le Rime arricchite di molti componimenti: ed alcune Lettere; il tutto riveduto, corretto, ed illustrato. 1723. 4. L. 10
Lettera d' Istruzione a una Monaca Novizia. 1724. 4. L. 2 : 10
Trattato della Tribolazione, di Bonsignore Cacciaguerra. 1724. 8. L. 1 : 5
Il Combattimento Spirituale, e le altre Operette divote del P. Scupoli Teatino, nuovamente corrette ed illustrate. 1724 8. L. 3 : 10
Christophori Cellarii Orthographia Latina Edit. I. Patavina. 1724. 8. L. -- : 15
Parere intorno all' antico stato de' Cenomani, ed ai loro confini, del Canonico Paolo Gagliardi. 1724. 8. L. 1 : 10
La Penelope, Tragedia di Giuseppe Salio, ec. 1724. 8. (a spese dell Autore.) L. 1 : 10
Joannis Antonii Vulpii Carminum Libri tres. Ejus item Opuscula soluta oratione scripta. Accessere Eruditorum quorumdam virorum, quibuscum ipsi amicitia intercedit, Poëmata nonnulla. Nec non Joannis Antonii Vulpii antiquioris, Patricii & Episcopi Novocomensis, ac Hieronymi ejus fratris, Carmina quæ supersunt. 1725. 4 L. 7
M. Accii Plauti Comœdiæ superstites viginti, cum Fragmentis deperditarum; ex optimis quibusque editionibus, at præcipue Friderici Taubmanni. diligentissime repræsentatæ. Accessit Index, in quo rariora & obsoleta poëtæ verba breviter ac dilucide explicantur. 1725. 8 *in carta fina* L. 7. *in carta corsiva*. L. 5
Le Lettere Familiari di Annibal Caro, divise in due volumi; corrette, ed arricchite d' una giunta considerabile, d' Indici, e di notizie. 1725. 8. in carta fina L. 7. in carta corsiva L. 5
Veteris Latii Profani Tomus III. in quo agitur de Antiatibus & Norbanis, Auctore Josepho Rocco Vulpio, Soc. Jesu Sacerdote. in 4. chart. maj. cum figuris. *Opera già cominciata dall' Eminentissimo Signor Cardinale Corradini, ed ora continuata per suo comando.* L. 12
La Divina Commedia di Dante Alighieri, giusta l' Edizione degli Accademici della Crusca: arricchita ora di un doppio Rimario; uno de' Versi interi, l altro delle sole Desinenze: come ancora di tre Indici copiosissimi; il primo delle Parole, e Frasi, dove si spiegano molti passi difficili del Poeta; il secondo delle Storie, e Favole; il terzo delle

cose

cose Storiche accennate per via di Perifrasi ; composti dal Sig. Gio: Antonio Volpi. il tutto distribuito in 3. *volumi in* 8. in car. fina L. 13. in carta corsiva L. 11.

Jo. Antonii Vulpii Oratio habita in Gymnasio Patavino cum ad Physicam publice tradendam aggrederetur, cujus hoc est argumentum: *In rerum Naturæ cognitione ad bene beateque vivendum momenta esse maxima.* 1727. 4. L. 1. æneis autem elegantiss fig. exornata L. 1 : 10.

Scisma d' Inghilterra con altre Operette di Bernardo Davanzati, tratte dall' edizione Fiorentina del 1638. *citata dagli Accademici della Crusca.* 1727. 8. in carta fina L. 2 : 10. in carta corf. L. 2.

Vita D. Ignatii Lojolæ, auctore Joanne Petro Maffejo Soc. Jesu, in tres libros tributa. nunc autem quarto libro aucta, plurimisque de Maffejo testimoniis locupletata a Josepho Rocco Vulpio, Soc. ejusdem. in 8. *in carta fina* L. 4. *in carta corsiva* L. 3.

M. Antonii Flaminii Forocorneliensis Carmina elegantissima quæ supersunt, a Francisco Maria Mancurto multis modis illustrata & aucta. 8. ch. maj. L. 5

Veteris Latii Profani Tomus IIII. in quo agitur de Veliternis & Coranis, auctore Josepho Rocco Vulpio e Soc. Jesu. cum figuris. 4. ch. major. L. 12

Due Discorsi della dignità Sacerdotale, col Compendio della Vita, e alcuni Ricordi del Ven. P. Maestro Giovanni d' Avila. in 8. L. 1

Stanno ora sotto il torchio i seguenti Libri.

Jo. Antonii Vulpii, Physicæ Professoris in Gymnasio Patavino, Scholæ duæ : Altera, de Aristotele, ejusque laudatoribus, & reprehensoribus: Altera, Quæ præcipue eidem Philosopho vitio vertantur. His adjectum est Syntagma de veteribus Philosophis, libro I. Physicorum ab Aristotele memoratis; in quo singulorum sententiæ de rerum naturalium principiis breviter & summatim exponuntur; ad usum studiosæ juventutis. Eodem Vulpio auctore. in 4.

Thomæ a Kempis de Imitatione Christi Libri IV. ex accuratissima P. Heriberti Ros-weydi e Soc. Jesu recensione. in 8.